

PERSEVERANTIA IN VOCATIONE: (Vide etiam: 2035-2046)

430.- 1716: Pro Provincia Sancti Brunonis: Cum illud sit praecipuum pastorem officium omnibus suis studiis contendere, ut omnes eorum curae commissi, in eadem qua vocati sunt vocatione permaneant, singulis Prioribus et officialibus prohibemus, ne ullis rebus vel facultatibus religiosos, si qui essent instabiles, juvent, alioquin animarum sibi creditarum rationem propriis dispendiis Deo et Ordini reddere tenebuntur.

431.- 1836: Pro Domo in Ittingen: Casu suppressionis contingente, Domus Professi meminisse jubentur nihilominus se votis obstrictos manere, ideoque postulare debere pro alia aliqua Domo, vel si aegritudine vel alio legali impedimento retenti patriam relinquere nequeant, saltem vivendi regulam suae professionis pariter et circumstantiis accommodatam postulent, sub qua degant in saeculo donec Domus restituatur, aut aliter provideat Dominus. Et hortantur Monachi ad regularem observantiam et mutuam charitatem.

432.- 1903. Adm.1: In hoc angustiarum tempore opportunum iudicamus, ad praecavendas tentationes quibus incerta rerum faverent, hoc Evangelii oraculum ad memoriam revocare: "Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei." Cui sententiae obnoxii essent, etsi materiale apostasiae crimen evaserint, quibus secularisatio aut votorum dispensatio concessa fuisset ad duritiam cordis, ob eorum procacem et obstinatam instantiam, ac pro bono Ordinis quem indisciplinata conversatione sua turbassent. Unusquisque confidat se spirituali aut corporali infirmitate tentandum non esse supra id quod poterit. Priores benigne, sedulo autem, juxta n.19, Cap.III, Iae Partis, necnon Admonitiones 5am anni 1879 (infra: n.478) et 5am anni 1882 (infra: n.451), scrutentur quae sint subditorum exercitia et animi status, ut eorum tentationum principiis obstant, ne postquam invaluerint, serius medicina paretur; de quo districtam Summo Judici reddent rationem. Perpendant etiam Confessarii cum quanta prudentia et discretionem se agere debent ne poenitentium instabilitati indulgeant.

POTUS: (Vide etiam: 2053)

433.- 1358: In regionibus in quibus non nascuntur vina, Monachi cervisia ad arbitrium Prioris sint contenti, a qua, absti-

[434] PRAEDICATIO

mentiae diebus, abstineant, sicut a vino abstinere debebant.

PRAEDICATIO:

434.- 1335: Nullus de Ordine de caetero publice praedicare praesumat, nisi in claustro vel Capitulo Monachorum vel Conventuum, nec ibidem aliquis saecularis, nisi quantum Statuta volunt admittatur, ne videamus docendi publice officium usurpare, cum, secundum Scripturas, officium Monachi sit specialiter non docentis sed plangentis.

435.- 1577: Prohibemus publicas conciones extra Monasterium tam Prioribus quam aliis Monachis atque etiam confessiones mulierum omnes.....

436.- 1872. Adm.3: Post ordinationem suam, ad arbitrium Prioris, exercitentur neo-sacerdotes sive in doctrina christiana familiaribus nostris in forma catechismi proponenda, sive in explanatione Dominicalis Evangelii, sive in sermunculis de Festis occurrentibus.

PRIOR: (Vide etiam: 2054-2219)

- 1°: Prior est Superior Major ad normam Juris.
- 2°: Debitor est Deo et Ordini.
- 3°: Diligentiam in officio suo adhibere debet.
- 4°: Observantiam servare debet.
- 5°: Officiales suos ad nutum nominat.
- 6°: Residentiam tenere debet.
- 7°: Vigilare debet super subditos suos.

1°: PRIOR Est Superior Major ad normam Juris:

437.- 28 Julii 1918: Dubio a Paternitate tua Reverendissima proposito, scilicet:

Utrum Priores Domorum Cartusianarum, tanquam Superiores Monasteriorum sui juris, vulgo "Monasteres autonomes" ad normam Statutorum, veniant nomine Superiorum Majorum, ad normam can.488, n.8 ?

Infrascriptus Eminentissimus Commissionis Praeses respondet:

A F F I R M A T I V E .

Quae dum Paternitati tuae nota facio, cuncta fausta a Deo adprecor.

P.Card. Gasparri

[437] PRIOR

2º: PRIOR Debitor est Deo et Ordini:

438.- 1779: Meminerint ipsi Priores se Ordini eorum omnium quae  
 === in Domibus suis aguntur debitores esse, et districto Judici  
 suorum officialium sicut et aliorum rationem reddituros.

439.- 1886: Ad Reverendum Patrem, ante Octavam Paschae, mittant  
 === singuli Priores, Rectores, necnon Monialium Priorissae, sta-  
 tum Domus suae, id est, nomina subditorum suorum, cum eorum-  
 dem Domus Professionis seu Donationis mentione et officii.

3º: PRIOR debet diligentiam in officio suo adhibere:

440.- 1431: Omnes et singulos Priores et Visitatores monemus,  
 === ut pro laude Dei suaeque et sibi commissorum salute et to-  
 tius Ordinis et propositi nostri honore et correctione, of-  
 ficiis eis injunctum exerceant diligenter secundum Statuto-  
 rum nostrorum mentem et tenorem, excessus suos et suorum  
 subditorum emendando et corrigendo, super quo subditos sin-  
 gulos et universos exhortamur in Domino quatenus correctio-  
 nem et emendationem a suis Superioribus patienter suscipiant,  
 si divinam et Ordinis velint effugere ultionem, ipsis Prio-  
 ribus et Visitoribus firmiter injungendo ut quos rebelles  
 et duros ad correctionem compererint, taliter puniant quod  
 hujusmodi contemptores, appositione poenae, a suis perversi-  
 tatibus cohibeantur et caeteris cedat in exemplum.

4º: PRIOR observantiam servare debet:

441.- 1596: Cum ex Statutis nostris praecipuum munus Prioris  
 === sit seipsum praebere subditis vivum exemplum in Divino Of-  
 ficio et caeteris Religionis nostrae exercitiis, declaramus,  
 juxta mentem Summi Pontificis nobis per Litteras speciales  
 significatam, eos qui non solent vel non possunt vivere jux-  
 ta regularem observantiam, praesertim in victu et vestitu  
 communi et uniformi ac in conveniendo in choro cum aliis ad  
 agenda Officia Divina, non posse eligi vel promoveri in Su-  
 periores Monasteriorum, et si tales jam sunt promoti, debe-  
 re absolvi nisi suis subditis exemplum in praedictorum ob-  
 servantia dare velint et possint. Et volumus ac praecipimus  
 ut omnes nostri Ordinis Superiores, nisi legitime et actua-  
 liter fuerint impediti convenient cum aliis in choro pro Di-  
 vinis Officiis.

5º: PRIOR officiales suos ad nutum nominat:

442.- 1455: Ordinamus ut Prioribus Ordinis nostri ad quos re-  
 === gulariter pertinet, omnino sit liberum, praehabito maturo

consilio, instituere et destituere officarios suos, tam Vicarios quam Procuratores, quin etiam alios infra vel extra clausuram residentes, nec a quoquam dicti Priores restringi valeant, nisi per Capitulum Generale, et alias aliter restrictos relaxamus, quoniam contrarium expresse derogat dignitati Ordinis et jura Statutorum enervat.

6°: PRIOR residentiam tenere debet, non nimis evagando:

43.- 1222: Omnes Priores qui exeundi habere volunt licentiam, monemus instantius, ne cum eis data fuerit, nimiam faciant evagationem. Alioquin culpabuntur, nec quando voluerint, eam habebunt.

44.- 1248: Priores pro negotiis qui sine ipsorum exitu possunt expediri, terminos suos non exeant, etiam si licentiam habuerint exeundi. Quod si, necessitate cogente, exierint, expleto negotio, ad Domos suas redeant, quamcitus poterint.

45.- 1509: Priores et Procuratores Domorum pro negotiis quae per litteras aut alias expediri possunt, a suis Domibus non exeant; sed in suis Conventibus cum Monachis a quibus assumpti sunt resideant; seque cum eis conforment in victu et caeteris observantiis, et Divinum Officium, diu noctuque, sequantur, quantum negotia Domorum suarum hoc permittunt, ut caeteris de seipsis bonum exemplum praebeant. Quod si negotium tale fuerit, quod Priorum aut Procuratorum praedictorum praesentia necessario exigat, hoc casu, Procurator potius quam Prior exeat, si per solum Procuratorem expediri possit. Alioquin Prior, aut si necesse fuerit, ambo simul, pro ipsius rei aut negotii tunc occurrentis expeditione exeant; et quamcitus potuerint, revertant, nec exeundi occasiones quaerant.

46.- 1602: Juxta monitionem Statutorum, abstineant Priores Domorum a non penitus necessariis vagationibus extra Domos super quas Visitatores invigilent, et moneant Reverendum Patrem, ut possit opportune providere.

47.- 1607: Ad comprimendam quorumdam Priorum pravam et effraenam exeundi de Monasteriis consuetudinem, qui litis aut alterius gravioris negotii quaesito colore, per urbes vagandi capiant occasiones, renovamus Ordinationem Capituli Generalis anni 1602, super hac re editam, quae incipit: "Juxta monitionem.....", addentes et prohibentes omnibus Prioribus ne novam litem incipiant, nisi re prius cum Conventualibus discussa, Visitoribus communicata, et a Reverendo Patre in scriptis approbata.

448.- 1895. Adm.4: Sollicite Priores admonemus ut strictius ser-  
 vent n.5, Cap.XXIV, Iae Partis Statutorum ubi, proposito ex-  
 emplo Prioris Cartusiae, insinuamur quatenus debeat interveni-  
 re necessitas antequam exeundum sit foras et per seculum  
 evagandum.

7°: PRIOR vigilare debet super subditos suos:

449;- 1869: Meminerint VV.PP.Priores primum et principale ipso-  
 rum officium esse suis ipsius et omnium sibi subditorum salu-  
 ti et profectui spirituali invigilare; atque idcirco negotia  
 ac bona Domus suae temporalia, per suos officiales et minis-  
 tros tractent et administrent, ne externorum cura praegrava-  
 ti, spiritualibus minus possint intendere.

450.- 1881. Adm.4: Ad memoriam omnium revocantes Ordinationem  
 anni 1859, qua praescribitur Prioribus ut subditos suos in-  
 terdum visitent et interrogent circa spiritualia exercitia,  
 valde exoptamus in visceribus Christi ut Priores discrete,  
 sed fideliter munus illud adimpleant; et subditi, pro suo  
 profectu spirituali, Praelatorum directionem libenter humi-  
 literque accipiant.

451.- 1882. Adm.5: Spiritualis Directio, solitariis praesertim  
 tam necessaria, pertinet ad Confessarios, nec excedit limi-  
 tes fori conscientiae. Priori tamen, cum sit pastor gregis,  
 ipsique specialiter committatur regularis disciplinae cura,  
 interroganti circa observantiam, cellae exercitia et caetera  
 quae ad forum externum spectant, debent humiliter respondere  
 subditi omnes.

#### PRIVILEGIA:

452.- 1461: Concessit Sanctissimus Dominus noster Pius Papa II  
 gratiose per Bullam toto Ordini nostro quod singulae ejus-  
 dem Ordinis Domus et personae gaudeant et libere utantur  
 privilegiis, gratiis et libertatibus per suos Praedecessores  
 Romanos Pontifices singulis dicti Ordinis Domibus gratiose  
 indultis; ex qua etiam ipse, de sui gratia, in favorem Ordi-  
 nis, motu proprio et ex certa scientia, de novo ad omnes Do-  
 mos Ordinis nostri tam ante quam post fundatas et in poste-  
 rum fundandas, necnon ad singulares earundem Domorum pro  
 tempore personas concedit, indulget et extendit.

453.- 1464: Et cum pluries fuerit ordinatum quod omnes mitte-

## 454] PRIVILEGIA

rent privilegia vel copias Domorum suarum, miramur quod nihil adhuc miserit Prior Domus Sancti Andreae de Littore prope Venetias, cum certi sumus quod Domus sua habeat certa privilegia. Ideo anno futuro non omittat mittere. (Pr. Tusciae)

54.- 1679: Ex Sedis quidem Apostolicae gratia, Ordo gaudet communicatione Privilegiorum aliorum Regularium Ordinum, ut patet ex Bulla Domini Gregorii Papae XV. Sed ne ullus unquam abusus ex tam amplis Privilegiis irrepit inter nos, contra mentem Ordinis et ipsius Sedis Apostolicae, quae juxta exigentiam temporum, Privilegia ipsa explicat aut restringit; statuimus et ordinamus, ne ulla persona Ordinis possit uti Privilegiis, aliis Regularibus concessis, circa casus, censuras et dispensationes, quae in nostris Statutis expressa non habentur, absque scitu et consensu Reverendi Patris aut Capituli Generalis, ad quod pertinet Privilegiorum istorum dispensatio.

55.- 1947. Ord. 3: Privilegia ante Codicis Juris Canonici promulgationem, Ordini nostro per communicationem rite acquisita, ex Bulla Gregorii XV, adhuc integra permanent, nec per canonem 613, §1, revocata sunt, ut patet ex authentico responso sub die 30 mensis decembris anni 1937 dato.

Sed ne ullus unquam abusus ex tam amplis Privilegiis irrepit inter nos, contra mentem Ordinis et ipsius Sedis Apostolicae, renovamus Ordinationem Capituli Generalis anni 1679. Volumus declaramusque eam ad pristinum suum vigorem revocari, et cum ea "statuimus et ordinamus ne ulla persona Ordinis possit uti Privilegiis supradictis absque scitu et consensu Reverendi Patris aut Capituli Generalis, ad quod pertinet privilegiorum istorum dispensatio."

## PROCESSIONES:

56.- 1886. Adm. 8: Uniformitatis causa, in Processionibus, Sacerdotem immediate sequantur, juxta consuetudinem Cartusiae, Fratres juniores et caeteri per Ordinem.

57.- 1882. Adm. 10: Pro Domo SS. Stephani et Brunonis: In Solemnitate Sancti Patris nostri Brunonis, quando fit Processio Sanctarum Reliquiarum, Monachi Domo non exeant.

## 457] PROCESSIONES

PROCURATOR: (Vide etiam: 2224-2265)

- 1°: Exhortatio generalis.
- 2°: Procurator erga debitum chori.
- 3°: Procurator erga Monachos.
- 4°: Procurator erga Priorem.
- 5°: Non debent ficte esse Procuratores.

1°: PROCURATOR: Exhortatio generalis:

458.- 1887. Adm.3: Invigilent Priores ut Procuratores commissum  
 sibi officium sicut decet Cartusianos exercent, quidquid  
 saeculares redoleret mores respuant, ab omni specie simula-  
 tionis in factis aut in verbis alienos se exhibeant, raro  
 exeant, et, quantum Domus negotia patiuntur, cito redeant,  
 ad Superiorem saepe recurrant, Monachorum necessitatibus  
 diligenter provideant, Conversos prudenter dirigant et dis-  
 crete reprehendant, ad propriam denique salutem et profec-  
 tum spirituales intendant.

2°: PROCURATOR erga debitum chori:

459.- 1888. Adm.2: Procurator ipse, casu occurrente, vices sup-  
 plet Hebdomadarii in Horis et in Missis conventualibus.  
 Necnon, cum ultimus adest in choro, campanam pulsat et cae-  
 tera huiusmodi facit quae ultimo tribuuntur.

460.- 1571: Hortamur Procuratores Domorum et illorum conductores,  
 ne, sub praetextu suorum officiorum, sequelam chori, praeser-  
 tim Festivis diebus, deserant, neque Ecclesiastica officia  
 desinant exercere, nisi in urgenti necessitate aut evidenti  
 utilitate Domorum suarum; quin potius, insequentes suorum  
 praedecessorum laudabilem et religiosam consuetudinem, offi-  
 cium Sacerdotis Hebdomadarii et alia Ecclesiastica officia  
 frequentare satagant, cum ex ordine sibi contigerint exerce-  
 re, quandoquidem servire Deo est regnare, nonobstante quacum-  
 que consuetudine in contrarium quae potius corruptela dicen-  
 da est, et super hoc Priores Domorum invigilent. (In Provin-  
 ciis Hispaniarum).

3°: PROCURATOR erga Monachos:

461.- 1291: Procuratores Ordinis in Domo Superiori sine licentia  
 speciali nihil dare debent vel possunt, nisi quod eis mani-  
 feste conceditur in Statutis.

462.- 1487: Volumus ut nullus Procuratorum Provinciae Alemaniae

63] PROCURATOR

Superioris quicumque donet, remittat, mutuo det, aut recipiat, seu quoquo modo alienet in Domo vel extra nisi quae Statuta expresse sibi permittunt, sine speciali licentia sui Prioris sub poena proprietariorum, etc...eto...

3.- 1890. Adm.7: Singulorum Priorum est definire quo loco a Procuratore petenda habeant Monachi quae debentur ex Ordine, cum nonnullis in Domibus ipsius Procuratoris cella, quam de caetero non intrant, longe a claustro inter Conversorum et Hospitii cameras sita sit. Valde optandum est ut scriptis ad Procuratorem recurrant.

4°: PROCURATOR erga Priorem:

4.- 1156: Procurator non grande aliquid sine licentia Prioris donare praesumat aut agere..... Non debet pecuniam mutuo dare vel accipere, aut deposita custodienda suscipere, nisi libere sciente et concedente Priore; et si forte receperit, quam citius potest, debet hoc manifestare Priori..... De negotiis et sumptibus pene omnibus, videlicet de annona, vino, oleo, caseis, ovibus, vitulis, et hujusmodi: ad Prioris recurrit consilium. Oves, boves, sagmarios, quod quidem raro facimus, nulli commodat unquam, sine Prioris consilio.

5.- 1393: Declaramus quod Procuratores Domorum non habentium Domum Inferiorem, de nullo se habeant intrmittere nisi de consilio et jussu Priorum suorum generali vel speciali sed quae sunt facienda ad eorum memoriam humiliter inducant, consilium impendentes et auxilium, pro bona ipsorum Priorum vel Praesidentium voluntate. Et similiter se habeant Conversi, qui si in jussis humiliter non obedierint, ac qui laborare potuerint et noluerint, vino careant et pitantiis ad voluntatem Praesidentium.

6.- 1513: Quandam assertam consuetudinem seu verius corruptelam Domus Vallis Vixidis, quod solus Procurator omnes pecunias ejusdem Domus recipiat, custodiat, et expendat, tanquam Statutis Ordinis contrariam, improbamus, et volumus et ordinamus quod in talibus et similibus, Procurator et sui coadjutores Statutis praedictis se conforment, et Priori suo in omnibus humiliter pareant, obediant, pariter et intendant, prout tenentur, consuetudine praedicta non obstante. (Pr. Franciae).

7.- 1836: Procurator, juxta n.4, Cap.VI, Iae Partis, de negotiis pene omnibus et sumptibus ad Prioris semper recurrat consilium, nec grande aliquid praeter ejus licentiam agere,

67] PROCURATOR



vendere, emere, accommodare, aut donare praesumat, nec ad grangiam Tichenam accedat, nisi sciente et consentiente Priore, aut in ea moram faciat, nisi quantum concesserit Prior. (In Domo de Trisulti).

468.- 1875. Adm.10: Attente legant et meditentur Procuratores n.1 et n.4, Cap.VI, Iae Partis Stat. nostrorum, in quibus invenient quid Prioribus suis, quid Fratribus, quid sibimetipsis debeant; et per litteras quas insciente Priore possunt ex Statutis dirigere vel recipere, declaramus intelligi litteras tantum quae ad negotia temporalia Domus spectant.

469.- 1890. Adm.6: Procuratoribus qui plus aequo sibi tribuerent, et ad subtrahendum se aliquo modo Prioris directioni tenderent, Annalium nostrorum auctoris verba proponimus qui, n.4, Cap.VI, Iae Partis Statutorum explanans, dicit: "Ex his paucis satis apparet quae sit et semper fuerit mens Ordinis circa Procuratoris officium, et quo obedientiae spiritu debeant semper duci et regi Procuratores in Ordine, qui, sicut et caeteri Monachi, uno et solo obedientiae bono omnia sibi profutura debent et ipsi sperare." Et quia circa egressus Procuratorum difficultates maxime oriri possent, volumus quod possessionum Domus terminos non exeant absque Prioris speciali vel generali licentia; pro hac autem danda vel deneganda consulant Priores Domus necessitatibus atque eo se faciliores se exhibeant quo angustiores sunt termini.

5º: PROCURATOR: Non debent fecte esse Procuratores:

470.- 1423: Reprehendimus quorundam Priorum consuetudinem, qui Monachos in Procuratores fecte praeficiunt, videlicet ut ad amicos vel physicos eos dirigant, pro eorum consolatione, sub Procuratoris nomine, et redeuntes protinus absolvant, quod amodo fieri stricte prohibemus, et Visitatores Monachos hoc modo emissos puniant tanquam fugitivos, necnon et Priores talia facientes reprehendant et eis imponant disciplinas.

#### PROCURATOR GENERALIS:

471.- 1859. Ord.9: Procurator Generalis non petat, nec quaerat, suo vel Ordinis nomine, ullas Litteras Apostolicas seu privilegia quaelibet, in iis quae ad regimen Ordinis in genere et Domorum in specie spectant, absque consensu Capituli Generalis vel Reverendi Patris. Officium sibi commissum studeat diligenter et per se adimplere, caveatque, quantum fieri poterit, ne secreta Ordinis diffundantur.

I. PROCURATOR GENERALIS [471] [STAT]

PROFESSIO: (Vide etiam: 2266-2269)

- 1°: De admissione ad Professionem.  
 2°: Professi votorum simplicium.  
 3°: Professi votorum solemnium.

1°: PROFESSIO: De admissione ad Professionem:

2.- 1893. Adm.5: Cum agitur de admissione alicujus Professi simplicis, sive Monachi sive Conversi, ad vota solemnia, statim ac Conventus sensum suum per consuetam votationem manifestaverit, Prior de hoc Reverendum Patrem certiore reddat, informationes addendo necessarias et opportunas.

3.- 1930. Ord.3: Ad normam Decreti "Inter reliquas" Sacrae Congregationis de Religiosis (la Januarii 1911) et responsionis ejusdem Sacrae Congregationis 15 Julii 1919, admitti possunt Novitii ad emittenda vota temporaria usque ad servitium militare valitura, servatis conditionibus in praedictis documentis expressis. Absoluto autem servitio militari, emissio secundae Professionis temporariae fiet, tempore opportuno, cum iisdem caeremoniis quae in Ordinario praescribuntur pro renovatione votorum temporariorum.

2°: PROFESSIO: Professi votorum simplicium:

4.- 1884. Adm.9: Cum anno 1851 ordinatum fuerit quod Juniores Professi per quatuor annos perseverarent sub tutela Magistri Novitiorum, ipsis non committatur, saltem sine dispensatione Capituli Generalis vel Reverendi Patris ullum officium quod ab hac subjectione illos eximeret.

5.- 1907. Adm.2: Etiam quoad libros legendos Magistri Novitiorum directioni subjacent Professi votorum simplicium; proinde Lectores Theologiae et Praedicatores non libros quoscumque, sed illos solummodo ad hujusmodi officia adimplenda pertinentes, de communi bibliotheca accipiant.

3°: PROFESSIO: Professi votorum solemnium:

6.- 1779: Priores in suos maxime juniores Monachos sollicite invigilent et attendant ad Ordinationem anni 1679 (vide supra: n.353); quos igitur a suo Proposito deflectentes animadvertunt, ad omnia instituti quod amplexi sunt munia paternis admonitionibus, ac etiam, si necesse est, objurgationibus salubribusque poenis cito revocare satagant, et si quid quosdam in re gravi deliquisse contigerit, illud per certa instrumenta scripta et a testibus signata confirmare

curent. Ex impunitate namque et Praelatorum negligentia seu molli indulgentia, mala augeri potius quam sanari experientia docuit.

477.- 1863. Ord. 6: Juniores Professi, licet ad alias Domos  
=== transmittantur et ibidem solemniter profiteantur, remanent  
in posterum Professi Domus ubi, elapso Novitiatu, primam  
Professionem emiserunt.

478.- 1879. Adm. 5: Sedulo invigilent Priores ut, facta solempni  
=== Professione, Monachus arbitrio propriae voluntatis non re-  
linquatur; sed, secundum Statuta ductum Praelati obedienter  
sequatur, tam pro spiritualibus exercitiis quotidie facien-  
dis, quam pro studiis aut manualibus operibus.

=====

RECREATIO: (Vide etiam: 2298-2305)

479.- 1260: Monemus ut in collationibus verba aedificationis  
=== dicantur.

480.- 1308: Injungimus Prioribus quod Monachos et alios subdi-  
=== tos qui partes fecerint contendendo de Dominis et factis  
eorum, de hoc acriter puniant, ipsos a colloquiis excluden-  
do, et si contigerit quod aliqui fatui dictam contentionem  
Dominis nuntiaverint, si sint Monachi voce careant et sint  
Novitii, alii vero a Domibus expellantur.

481.- 1332: Monemus omnes Priores ut, propter inordinationes  
=== multas quae in colloquio dicuntur et fiunt, sint magis sol-  
liciti ad reprehendum et vana colloquia rescindendum, et  
illi qui ad contentiosa verba et indisciplinata de facili  
prorumpunt, ad arbitrium Prioris a colloquiis excludantur.

482.- 1347: Declaratur quod illi qui non debent interesse col-  
=== loquiis, non debent habere colloquium in spatio quod est  
inter duo signa Vesperarum.

483.- 1686: Dubium ad nos a Patribus Commissariis pro Domo Mon-  
=== te III remissum in anno 1683 resolventes, dicimus recreatio-  
nis vocabulum in designatione terminorum spatiamenti anni  
1637 usurpatum intelligi debere de spatiamento tantum in heb-  
domada semel a Statutis concessio, et prohibemus recreationes,  
quae loco colloqui quandoque conceduntur, haberi extra Do-  
mum, omnia haec ad formam Statuti reduci volentes. In initio  
hujus saeculi, saepe designabatur spatiamentum per vocabulum  
recreatio, unde fiebat confusio). (Pr. Tusciae).

484.- 1890. Adm. 11: Pro Domibus Provinciarum Franciae: Ad  
 == memoriam omnium revocamus quod recreatio, id est, transla-  
 tio colloquii in hortum vel alium locum designatum, de jure  
 Statuti non habeatur, sed ejus concessio in libera prudentia  
 Superioris semper remaneat. Designatio autem loci aut loco-  
 rum ad Visitatores pertinet, qui super hoc ita statuere te-  
 nentur ut Monachi omnes simul stare possint et limites non  
 extendantur nimis, ne contra Ordinis voluntatem recreatio-  
 nes quasi spatia fiant. Caeterum recreationem sive  
 colloquium finem habere volumus hora secunda cum dimidia,  
 etiamsi ad Vesperas serius pulsetur.

485.- 1934. Ord. 2, 3º: Pro Domibus Provinciae Italiae: Non con-  
 == cedantur Monachis recreationes, nisi diebus Capituli extra  
 quadragesimam.

486.- 1884. Ord. 5: Pro Domo Sancti Hugonis Parkmonasteriensis:  
 == In Recreationibus, Domus possessionum limitibus non exeant  
 Monachi, nec, quantum fieri potest, per vias publicas ambu-  
 lent.

REFECTOR: (Vide etiam: 2306)

487.- 1879. Adm. 7: Quod dicitur in n. 38, Cap. III, Iae P. Stat.  
 == de potestate Rectoris quoad Novitiorum Professiones, intel-  
 ligendum est etiam de Professione votorum simplicium.

488.- 1901. Adm. 3: Rector, post ultimam Lectionem in Matutinis,  
 == extinguit ipse candelam, et reportat librum a Lectorio ad  
 locum suum. Similiter, ei non debentur varia reverentiae si-  
 gna quae Priori exhibentur.

REFECTORIUM:

489.- 1276: Gratiae reddantur alta voce per totum Ordinem, e-  
 == tiam in Capitulo Generali; et Priores, in reddendo gratias,  
 eant ad Ecclesiam. Et Prior Cartusiae, tempore Capituli Ge-  
 neralis, comedat in Refectorio, si placuerit sibi.

490.- 1442: Quando Lector Refectorii in diebus Capituli sup-  
 == plet in Ecclesia vices Sacerdotis hebdomadarii Missam con-  
 ventualem celebrando, ordinamus quod etiam suppleat in Re-  
 fectorio, mensas benedicendo et post prandium vel coenam  
 gratias in Ecclesia persolvendo, et lectura refectorii tran-

seat illa die ad alium in suo ordine contingentem quacumque consuetudine in contrarium non obstante.

=====

REVERENDUS PATER: (Vide etiam: 2330-2335)

- 491.- 1432: Reverendus in Christo Pater Dominus Prior Cartusiae  
 === libere utatur potestate sua tam ordinaria quam per Capitulum Generale sibi delegata, nec illam nimis moderetur aut restringat quorumcumque suggestionem seu cujuscumque virtutis aut commoditatis praetensione, sentiendo cum Apostolo: "Quamdiu gentium Apostolus ero, officium meum honorificabo."
- 492.- 1408: Ordinamus Reverendum Patrem nostrum Cartusiae qui  
 === nunc est et qui pro tempore fuerit ad consolationem sarcinae et laborum quos pro universo gerit Ordine, habere ex praesenti Ordinatione absque alia speciali concessione Monachatum plenum cum Psalteriis per totum Ordinem. Ideo audito ejus obitu persolvatur debitum absque alia monitione vel denunciatione.
- 493.- 1438: Cum Reverendi Patres Domni Priores Majoris Cartusiae  
 === habeant portare onera totius Ordinis per totum annum praeter caeteris quibuscumque Visitoribus, ordinamus quod amodo ipsi et soli habeant duplicem cum Psalteriis per totum Ordinem Monachatum.
- 494.- 1441: Quoniam illius est interpretari cujus est et condere,  
 === ordinamus quod tempore Capituli Generalis aut alias super annum nullus respondeat ad dubia vel quaestiones quae ad Cartusiam deferuntur, interpretationem vel declarationem Statutorum aut aliorum quorumcumque dubiorum concernentes nisi Prior Cartusiae cum consilio expertorum Domus suae, quae responsiones antequam mittantur, in futuro Capitulo coram Diffinitoribus, eliminandae publicentur; volumus tamen pro alleviatione Reverendi Patris, et pro totius Ordinis consolatione, quod ille vel illi quos duxerit eligendos habeant circa quaestiones et dubia facilia caeremoniarum dicti Ordinis, et consuetudines Domus Cartusiae, sedente Capitulo, respondere.
- 495.- 1866. Adm.1: Si ipse Reverendus Pater Romam aliquando a-  
 === dierit, in Domibus Ordinis per quas transibit, Prioris sedem ubique tenebit.
- =====

[496] RITUS

RITUS CARTUSIENSIS: (Vide etiam: 2336-2344)

496.- 1156: Libros Novi ac Veteris Testamenti, et eos in quibus  
=== Divina celebrantur Officia, qui tam studiose emendati sunt, si-  
ne communis Capituli auctoritate nullus emendare praesumat.

497.- 1917: Juxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis, diei  
=== 28 Februarii 1914, Calendarium proprium Ordinum Regularium  
adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorundem Ordinum.

498.- 1877. Adm.4: Apud Moniales, in recitando Confiteor et  
=== Preces post Horas, nihil addi vel mutari potest.

499.- 1930. Ord.2: Juxta Litteras Encyclicas "Quas Primas" et  
=== "Miserentissimus", post Primas Vesperas Solemnitatis SSmi  
Cordis Jesu, coram Sanctissimo Sacramento solemniter expo-  
sito, recitetur a Priore, cuculla ecclesiastica induto et  
ante altare genuflexo, Precatio Piacularis cum Litanis Sa-  
cratissimi Cordis Jesu. - In Festo autem Jesu Christi Regis,  
post Vesperas, recitetur a Priore, pariter induto et genu-  
flexo, Consecratio Generis Humani Sacratissimo Cordi Jesu,  
cum iisdem Litanis.

=====

SECRETA: (Vide etiam: 2352-2362)

- 1°: Secreta Domorum.
- 2°: Secreta Ordinis.

1°: SECRETA Domorum:

500.- 1180: De his qui revelant secreta Capituli praecipitur,  
=== ut cum deprehensi fuerint, eis secundum modum culpae, dis-  
ciplina imponatur.

501.- 1689: Cum maximi momenti sit ut arcana Domorum et persona-  
=== rum Ordinis sub religioso secreto serventur, cum id ad jus  
naturale pertineat, quod est indispensabile, ordinamus et  
praecipimus ut, cum obitus Reverendi Patris advenerit, statim  
D.Vicarius, aliis officialibus comitatus, januas cellae ejus  
et scrinii atque armaria ubi Chartae Ordinis servantur sedulo  
obseret et sigillo muniat, extractis prius illis quae pro ad-  
ministratione Domus necessaria censebuntur. Quibus peractis,  
claves cellae Reverendi Patris Procurator Cartusiae apud se  
servabit.

[501] SECRETA

502.- 1880. Ord. 5: Damna praecavere volentes quae saepe saepius  
 --- eveniunt ex violatione secreti circa tractatus qui in Capi-  
 tulo Domorum habentur, declaramus poenam eandem quae pro  
 furtivis epistolis incurritur, suspensionem scilicet a Mis-  
 sa, ipso facto incurri ab his omnibus qui scienter tali pec-  
 cato se obstrinxerint; si non sunt sacerdotes, communione  
 privantur usque dum culpam suam Superiori manifestaverint.

503.- 1885. Adm. 5: Quoniam de statu Domorum ac personarum Or-  
 --- dnis ad nullum spectat providere nisi ad Capitulum Gene-  
 rale, vel Reverendum Patrem, aut alterum ex Visitoribus  
 Provinciae, juxta n. 10, Cap. XXIV, Iae P. St., quapropter  
 quaelibet persona Ordinis ad aliam Domum missa omnimode ca-  
 vebit ne de rerum defectu vel personarum Domorum quas inco-  
 luit, indiscrete loquatur, nec a personis ipsius Domus su-  
 per his taliter interrogabitur; sic enim caritas et concor-  
 dia perfectius servari poterunt. Prioresque invigilent super  
 personas in hac parte delinquentes, privando eas si sint Mo-  
 nachi, spatiantis et colloquiis seu recreationibus. Si  
 Fratres, alio modo puniantur.

504.- 1894. Adm. 7: Renovamus Admonitionem 5am Capituli Genera-  
 --- lis anni 1885, qua vetatur religiosis qui de Domo ad Domum  
 mittuntur ne de rerum defectu vel personarum Domorum quas in-  
 coluerunt indiscrete loquantur, Priores vero super hoc invi-  
 gilent; et poenam ibi sancitam, scilicet privationem spatia-  
 mentorum, etc., si opus fuerit, infligere non vereantur.

505.- 1894. Ord. 4: Stupentes audivimus quosdam Monachos, etiam  
 --- Officiales, legis naturalis plane immemores, defuncti Prio-  
 ris chartas perscrutari, ejusque secreta passim divulgare;  
 quapropter, tantae audaciae contrariè cupientes, extendi vo-  
 lumus ad omnes Ordinis Domos Ordinationem 2am Capituli Gene-  
 ralis anni 1689 (supra: n. 501): ita ut, defuncto Priore, Vi-  
 carius et alii officiales Domus januas cellae ejus sedulo  
 obserent, et sigillo muniant.

2º: SECRETA Ordinis:

506.- 1469: Quia multi in Ordine, sui status et disciplinae re-  
 --- gularis obliti, impudenter nimis et inverecunde revelant  
 facta Ordinis extraneis personis, Ecclesiasticis et saecula-  
 ribus, et de personis Ordinis obloquendo dicunt quae sciunt  
 et quandoque etiam quae non sciunt, diffamando personas Or-  
 dinis, ex quibus oriuntur scandala et generantur displicen-  
 tia in mentibus audientium, in tantum quod de Ordine et de  
 personis ejusdem male aedificantur; eapropter, ad reprimen-

dum ausus temerarios talium, omnibus et singulis de Ordine, tam praelatis quam subditis, prohibemus, sub poena suspensionis a Divinis, ne quis eorum aliquid de Statutis Ordinis, seu de regimine Domorum spirituali seu temporali, aut de defectibus seu conditionibus personarum Ordinis, per quod audientes possent male aedificari, extraneis quibuscumque Ecclesiasticis, vel saecularibus, verbo vel scripto, per se interpositamve personam praesumat revelare, seu quoquo modo intimare, etc... (Sequuntur poenae...)

507.- 1859. Ord.8: Cum ad nostras aures multae querimoniae ascenderint ex pluribus locis circa violationem secreti a Statutis nostris praescripti Diffinitoribus, Scribae Capituli Generalis et Visitoribus circa res de quibus agitur sive in Diffinitorio, sive in Visitationibus, declaramus de caetero poenam excommunicationis ipso facto incurri ab omnibus qui tale violaverint secretum, si mense elapso a die violationis suam culpam Reverendo Patri non manifestaverint.

508.- 1947. Adm.1: Quae a Statutis nostris, n.10, Cap.XXIV, lae Partis, de secretis Ordinis servandis praescribuntur, ne honor ipsius apud saeculares detrimentum patiatur, inter nos etiam meminisse debemus. Dolentes enim comperimus aliquos temere de personis et de rebus loqui, aliqua augentes, nonnulla fingentes et multa spargentes quae silentio tegere debuerant, Severe corripendi sunt, quippe qui pacem Ordinis turbent, famae aliorum saepe detrahant, et propriam conscientiam gravi culpa onerare non dubitent.

SEENES: (Vide etiam: 2363-2370)

509;- 1680: Unus tantum designatur Monachus sub nomine et officio Antiquioris, nec de Antiquis in Statutis nulla fit mentio. Unde cavendum est ne alicubi senioribus quibusdam Monachis titulus Antiqui attribuatutur aut permittatur, sive aliqua licentia aut privilegium concedatur, cum omnes Monachi unum Conventum efficiant, et omnes aequales esse debeant, tum in Observantiis Regularibus, tum in caeteris, ut per Statuta satis exprimitur.

SILENTIUM: (Vide etiam: 2372-2374)

510.- 1180: De silentio autem praecipimus ut Priores illud tenere faciant in Domibus suis.



I. SILENTIUM [511]

511.- 1335: Statutum de fractione silentii quod qui fregerit  
=== frequentius silentium ponna puniatur majori, intelligimus  
quod vino careat vel ad terram comedat, prout Prior viderit  
expedire.

512.- 1404: Quia observatio silentii et cellae est praecipuum  
=== conservativum pacis et Monachi male servant et Praesiden-  
tes negligenter corrigunt et puniunt; ideo, ordinamus quod  
Monachi clamantes culpas de silentio, teneantur exprimere  
in quibus locis et quot vicibus fregerint, et nisi sint de  
personis exemptis in Statutis, n.5, Cap.VIII, Iae Partis,  
teneantur recipere disciplinam et aliam poenam juxta modum  
culpa.

513.- 1180: Monemus ut Fratres Laici qui obedientias non habent,  
=== vel cellas teneant, vel laborent pro viribus suis. Turpe  
est enim quando duo et duo per plateas loquentes deambulant  
vel in cellis conveniunt. Si autem emendari ad monitionem  
Priorum noluerint, in Generali Capitulo puniemus.

514.- 1466: Quia in plerisque Domibus Ordinis nostri, status  
=== Conversorum maxime videtur declinare ab observantia regula-  
ri Statutorum, in non tenendo silentium ita quod multi parum  
vel nihil videntur servare de silentio, etiam horis et locis  
quibus magis sunt adstricti tenere silentium; sed ubique et  
indifferenter, pro libitu suo, loquuntur cum quibus volunt,  
et quando et quamdiu volunt, quod non est tolerandum, cum  
sit contra salutem animarum ipsorum. Eapropter omnes et sin-  
gulos Conversos Ordinis nostri exhortamur et monemus in Do-  
mino ut circa observantiam silentii studeant se reformare,  
et Priores et caeteri officarii circa hujusmodi observantiam  
super ipsos Conversos intendant et invigilent, ipsosque a  
tali transgressione coerceant.

=====

SINGULARITAS:

515.- 1677: Semper in Ordine sollicitum curatum fuit ut unifor-  
=== mitas ubique servaretur et maximi momenti est ut a nostris  
Monasteriis eliminetur quidquid huic tam laudabili unifor-  
mitati adversatur, alias enim ab exactitudine illa, qua  
usuum Communium Ordinis observantia servanda est, recederet-  
tur et inde aperiretur ostium ad singularitates quae semper  
Ordinibus Regularibus nocivae sunt.....

=====

I. SINGULARITAS [515]

16] SOBRIETAS

SOBRIETAS: (Vide etiam: 2375-2383)

- 5.- 1347: Hortantur salubriter in Domino omnes Priores Ordinis et Vicarii ac Priorissae Monialium quod pravas consuetudines et abusus eorum in Domibus suis contra sobrietatem et attritionem nostri solitarii propositi, in detrimentum animarum circa victualia miserabiliter introductos omni diligentia studeant efficaciter extirpare, monentes omnes subditos ut praemissa pro salute animarum suarum emendari sustineant patienter, nec inde murmurentur, vel Priores suos aequaliter molestent.
- 7.- 1356: Caveant Priores ne faciant sibi singularia cibaria, nec aliis ministrent in Refectorio.
- 8.- 1393: Exhortamur omnes et singulos Visitatores, ac etiam eis districte injungimus quatenus in Domibus suis et aliis quas visitabunt studeant diligenter extirpare consuetudines introductas contra sobrietatem et parcitatem, atque rusticitatem nostrae Religionis, nec praetextu cujuscumque consuetudinis vel conditionis cujuscumque permittantur quod in sero ministretur Conventui, nisi fructus vel herbae et similia ubi habentur; ubi vero non habentur, solum panis et vinum conventionaliter detur, cum de sero, propter vigiliis sequentes summo studio servari debeat a servis Dei sobrietas; quos vero in praemissis se emendare nolentes invenerint, graviter puniant.
- 9.- 1416: Prohibemus ne aliquis Prior, Rector, Vicarius, aut Procurator Domus cujuscumque Ordinis nostri consentiat ut persona aliqua secularis cujuscumque conditionis, aut status, seu etiam volens intrare Religionem nostram donet aliquid contra formam Ordinis aut Statutorum Domui cuicumque Ordinis nostri sub obtentu seu conditione vel pacto quod de ipsis pecuniis vel aliis donis oblati fiat aliqua pitantia Conventui, seu aliquid aliud comestibile vel potabile detur alicui vel aliquibus personis Domorum aut ad tempus seu in perpetuum, omni spe dispensationis in contrarium adempta, et quae contra praedicta in abusum devenerint volumus penitus resecari et extirpari.
- 10.- 1590: Etsi semper fuit alienum a Cartusiana simplicitate et paupertate murmurare de victualibus, semperque necessarium vigilare pro resecandis in victu et vestitu superfluitatibus et excessibus, at nunc multo magis, cum in ea incidimus necessitatis tempora ut velle abundare ut ante, multis fame pereuntibus, et magna ex parte direptis Domorum facultatibus, sit irrationabile et inhumanum, et nolle aliquid pati pro

20] SOBRIETAS

peccatis propriis et communibus sit in primum, unde cogimur. Sicut  
 quascumque Domorum consuetudines de lautioribus cibis et  
 vestibus ministrandi, tam in quantitate quam in coarctate,  
 tam diebus solemnibus quam festivalibus et a feriabilibus, ad  
 omnem simplicitatem mensuramque rationabilem apparatusque  
 facilem et religiosum ac monasticum reducere, prout tenore  
 praesentis Decreti et Ordinationis facimus, nostris omni-  
 bus intimantes inter media ad profectum conducentia inter-  
 que remedia ad divinam iram mitigandam adhibenda hoc pluri-  
 mum valiturum, si praedictas consuetudines Domorum in lau-  
 tiori victu et cultiori vestitu patiantur et ferant reduci  
 ad limites justae necessitatis, debereque Monacho sufficere  
 si fames undequaque propulsetur et nuditas operiatur; ita  
 tamen ut Priores faciant id ratione, non tenacitate, quo-  
 rum iudicio nihilominus in his omnibus stari volumus.

521. 1894. Adm. 6: Quoniam ad nos delatae sunt querimoniae su-  
 per delicatioribus cibis qui non raro, vel in cellis vel  
 in Refectorio, Monachis apponuntur in aliquibus Ordinibus nos-  
 tri Domibus, licet attritioni vilitati que propositi nostri  
 non bene convenient, oramus atque obtestamur quatenus omnes  
 diligenter attendant ad n. 26, Cap. IX, Iae Partis Statutorum,  
 ubi legitur: "Volumus Praesidentes Domorum sibi subditis ne-  
 cessaria juxta formam Ordinis sufficienter providere, et  
 nihilominus malas consuetudines contra sobrietatem et attri-  
 tionem nostri propositi salutaris, in animarum dispendium,  
 circa cibos superfluos et lautiores, omni cum diligentia  
 efficaciter propulsare. Hortamur autem et obsecramus omnes  
 subditos in Domino, pro sua salute et totius Ordinis hono-  
 re, ut cum omni humilitate, mansuetudine et patientia, in  
 hoc suis Praelatis obtemperent, nec inde murmurent aut Prae-  
 latis suos aliquatenus inquietent, si divinam et Ordinis  
 voluerint ultionem evadere." Similiter ad memoriam revoca-  
 mus n. 11; Cap. XVIII, et n. 22 et 25, Cap. IX, ejusdem Iae Par-  
 tis.

Ad omnem abusum praecavendum volumus: ut diebus festi-  
 vis eadem qualitas vini ac aliis diebus ministretur; ut pis-  
 ces exquisiti aliaque cibaria lauta quae convivia divitum  
 sapiunt, sed tenuem Cartusiae mensam dedecent, removeantur  
 a nobis; ut non emanent nec etiam accipiantur gratis delica-  
 ta pistorum opera, ea tantum permittentes quae apud nos sim-  
 plici arte conficiuntur; ut nihil unquam sive tempore profes-  
 sionis, sive alia quavis occasione, petatur ab extraneis vel  
 parentibus ad cibum potumve pertinens. Si quid autem Cartu-  
 sianae simplicitati et sobrietati non repugnans ultro offer-  
 tur, accipi potest; sed summopere cavenda est in hujusmodi  
 relaxatio Statuti, vel disciplinae monasticae debilitatio.

[522] SOBRIETAS

522.- Nobis etiam videntur ad memoriam revocandi n.16 et  
n.17, Cap.XXI, Iae P. St., qui optime decernunt, et limi-  
tant quomodo tractandi sint hospites, sive Ordinis nostri  
sive saeculares.  
Haec omnia committimus zelo et prudentiae Visitorum,  
qui debent tum observationem Statuti urgere, tum de casi-  
bus dubiis, pro Domorum et regionum consuetudinibus, diju-  
dicare.

SOLITUDO: (Vide etiam: 2384-2426)

523.- 1402: Nulla persona Ordinis, praetextu paupertatis vel  
alterius occasionis, per se vel per interpositam personam,  
in antea impetret indulgentiam, pro quacumque Domo nostra,  
vel impetrata per alium quomodolibet utatur, absque licen-  
tia Capituli Generalis, cum visitationes tumultuosae popu-  
lorum et mulierum non conferant ad serenitatem et quietem  
solitariae vitae.

524.- 1512: Nobis solitariis sufficit sedere et tacere, et cum  
silentio praestolari salutare Dei, in omnibus humiliter sen-  
tire, Ecclesiam audire, ejus mandata servare, et pro ejus  
unitate et pace jugiter orare, potius quam quae supra nos  
sunt et vires nostras excedunt, curiose nimis incurrere.  
(Ex Ordinatione circa unitatem conservandam, si adest  
schisma in Ecclesia).

525.- 1512: Nolumus quod possint ipsi Visitatores aut aliqui  
ex eis, etiam in actu Visitationis, dare licentiam Monachis  
visitandi parentes ex quacumque causa, vel eundi ad Ordines  
ad loca remota si teneantur in propria civitate aut alia vi-  
ciniore, aut exeundi terminos Monachorum sola recreationis  
causa, ut vitetur omnis inordinatus discursus, et Ordinis  
stabilitas in suo vigore servetur.

526.- 1590: Etsi nihil cogitare, nihil desiderare, nihil agere  
valeamus quod satis sit ad omni honore celebritateque pro-  
sequendum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum semper et  
ubique, maxime cum per claustrum processionaliter, juxta Ec-  
clesiae ritum et Ordinis Statutum circumferendum est, regu-  
larium tamen apparatus, ornatus et cantus, regulari disci-  
plinae et gravitati, non saeculari pompae debere convenire  
judicamus; propterea aulae, tapetia, aureaque vel argen-  
tea et similia ad ornatum vasa vel utensilia maxime foris  
quaesita et mendicata, sed et musica omnia reprehendimus et  
a nostris arceamus ut et invitationes saecularium et convivia

[526] SOLITUDO

sub praetextu hujusmodi officiorum et processionalium devotionum, super quibus Visitatores Provinciarum invigilent et transgressores debite puniant, vel ad Reverendum Patrem deferant. (In Provincia Cathaloniae).

527.- 1884. Ord. 3: Cum octingentesimus occurrat annus ex quo  
 === Sanctus Pater Bruno, circa Festum Sancti Joannis Baptistae, eremum Carfusiae colere coepit, qui, post tot gloriae et calamitatum vices, ad incunabula Ordinis ex variis partibus Galliae, Italiae, Hispaniae, Helvetiae et Angliae coadunatus, superstitis, licet pusilli, cartusiensis gregis pastores, tam memorabile nobis anniversarium denuntiari non omitemus Ordinisque alumnos adhortari ut exultent, quia jubilaus est. Attamen, insequentia exempla Patrum nostrorum, qui hujusmodi solemnitatis vestigia non reliquerunt, nec Praelatorum et fidelium concursu, nec oratorum eloquentia nec caeremoniarum splendore, quod solitudinis nostrae non conveniret, sed more cartusiano et juxta simplicitatem nobis propriam, intimo affectu maximeque vitae nostrae reformatione hanc festivitatem celebrandam esse declaramus. Itaque ordinamus quod prima die congrua post Solemnitatem Sancti Joannis Baptistae, scilicet 8a Julii, cantetur a Priore, praesentibus etiam Fratribus, Missa votiva de Sanctissima Trinitate, pro gratiarum actione, cum oratione Sancti Patris nostri Brunonis, post Octavae Visitationis commemorationem. Qui multum nunc orat in coelis, Sanctus Pater noster, obtineat successori suo quaecumque fausta et longitudo dierum, Ordini incrementum numeri et meriti, periclitantibus Domicibus salutem nobisque omnibus primaevae aetatis spiritum et virtutes!

528.- 1884. Adm. 10: Pro Domo Sanctae Mariae de Mogeris: Jam  
 === diu invaluit timor in Ordine ne concursu fidelium ad sanctuarium Beatae Mariae aliquid detrimenti patiantur Monachi, quorum praecipue studium et propositum est silentio et solitudini vacare, et qui Mariae partem elegerunt. Priorem igitur ac Conventuales iterum atque iterum hortamur in visceribus Christi ut, quod sine scandalo tolli non posset tolerantes, peregrinorum frequentiam saltem nullo modo provocent; ea ad quae vocati sunt exercentes, ad non commissa non inclinent; ecclesiae exterioris solemnitatibus non se immisceant; et pro Missis privatis in hac ecclesia celebrandis, necnon pro extraneis in hospitio admittendis, antiquas ac probatas consuetudines sequantur.

529.- 1895. Adm. 6: Juxta n. 4, Cap. V, IIae Partis Statutorum,  
 === Monachi non debent, inscio Priore vel Procuratore, Fratres aut famulos ad cellas suas in claustrum vocare, nec quidquam

[530] SOLITUDO

ab eis petere, etiam de his quae nobis debentur ex Ordine.

530.- 1907. Ord.3: Quia propter Festorum Capituli multiplica-  
=== tionem nostrae vocationis praecipuum propositum, quod est  
solitudini et silentio vacare, notabiliter impeditur, illa  
moderanda esse in Diffinitorio iudicatum est...Etc...

SPATIAMENTUM: (Vide etiam: 2431-2502)

531.- 1261: Monemus ne portetur potus a Monachis foris, nec  
=== super hoc credatur Prioribus vel hospitibus adventitiis,  
et patres Domorum quantum possunt dissuescant.

532.- 1261: Ad preces Priorum supervenientium, Monachi non  
=== exeant Domum, causa spatiandi.

533.- 1261: Visitatores ubi invenerint quod Monachi extra clau-  
=== suram Domorum comedere consueverunt, consuetudinem repre-  
hendant, et castigent.

534.- 1326: Diebus abstinentiae deputatis, Monachi extra pro-  
=== prias cellas non laborent, nec tunc eis spatiamenta conce-  
dantur.

535.- 1496: Cum Statuta et Ordinationes Capituli Generalis pro-  
=== hibent ne Monachi in spatiamentis extra cellas comedant et  
bibant, et in pluribus Domibus, praetextu consuetudinis et  
licentiarum quas dicunt habere, contrarium observetur in ma-  
ximum scandalum observantiae et honestatis Ordinis, sequun-  
tur enim et fiunt ex praefatis comessionibus inter ipsos  
ad invicem actus dissoluti, inverecundi, rixae, ebrietates  
et quamplurimae aliae dissolutiones in injuriam Dei et Or-  
dinis et irreverentiam habitus sui. Idcirco volentes circa  
talia de remedio opportuno providere, omnes et singulas li-  
centias concessas seu permissas comedendi seu bibendi extra  
Domorum clausuras vel intra extra cellas revocamus, irrita-  
mus et cassamus. Et Visitoribus ac Prioribus inhibemus ne  
de caetero hujusmodi licentias concedant aut talibus uti  
permittant; quod si fecerint, sint ipso facto ab officiis  
suis suspensi et petentes tales licentias vel exeundi ad  
visitandum parentes cujuscumque conditionis vel status fue-  
rint, sint per unum mensem in disciplina generali.

536.- 1497: Ordinationem anno praeterito factam quae sic inci-  
=== pit: "Cum Statuta...", quamvis approbatione et confirmatio-  
ne non indigeat, eo quod sit in Statutis et in Ordinationi-

[536] SPATIAMENTUM

bus et ratione fundata, tamen ad removendum dubium et ad scrupulum aliquorum tollendum, et ut ab omnibus personis Ordinis manifeste et repetitis vicibus innotescat voluntas irretractabilis Ordinis, ipsam Ordinationem auctoritate nostri Capituli Generalis confirmamus, roboramus et approbamus.

537.- 1585: Quia multi male interpretantur quae de spatiamenti  
 === seu recreatione in Nova Statutorum Collectione traduntur, Cap. XV, n. 2 et sequentibus, declaramus in primis unicum in hebdomada spatiamentum posse concedi, quod recreationem dicimus, nec retro cellas nec in hortis amplius quam semel spatiandum, nec Monachis licere pro suo arbitrio aut colloquium aut spatiamentum eligere; sed Praesidentis esse spatiamentum illis concedere, eo quo voluerit die, secundum Ordinis Statuta; ita ut omnes semel et simul debeant ire ad spatiamentum et redire.

538.- 1633: Servetur Statutum circa spatiamenta, ut videlicet  
 === Monachi simul exeant, simul stent, simul redeant, nec maneant in porta Domus, etc..., sublato omni inordinato discursu, egressu, et fractione silentii.

539.- 1780: Singulis Prioribus mandamus ut strictius servetur  
 === n. 12, Cap. XV, Iae Partis Statutorum, de spatiamenti, et circa poenas transgressoribus impositas, quibus poenis addimus privationem spatiamentorum et revocationem ad tempus. Meminerint Priores ac etiam Visitatores hanc constitutionem non posse relaxare.

540.- 1869. Ord. 8: Si qua Domus Ordinis spatiamentum extra ter-  
 === minos, etsi semel in anno, habere voluerit, expressam licentiam a Reverendo Patre qualibet vice expostulare debet. Ipsa autem spatiamenti die Divinum Officium diurnum pariter et nocturnum eadem gravitate ac devotione persolvatur: consuetae etiam refectiones domi sumantur.

541.- 1877. Adm. 9: Sed nihilominus permittimus quod aliquid  
 === viatici quisque secum portet.

542.- 1884. Adm. 8: In spatiamenti simul exeant Monachi claus-  
 === trales, simul stent, et simul redeant; concedimus tamen in duas tantum turmas illos dividi posse, quando id expedire Priori videbitur.

543.- 1892. Adm. 10: Mirantes audivimus Admonitiones Visitorum  
 === de colloquiis in spatiamento cum extraneis occurrentibus non habendis quosdam parvipendere. Praefatas Admonitiones auctoritate Capituli Generalis confirmamus; et delinquentibus Monachis injungimus ut se corrigant.

[544] SPATIAMENTUM

544.- 1893. Adm.9: Juxta Admonitionem anni 1884, in duas tantum  
=== turmas pro spatiamenti dividi possunt Monachi claustrales.  
Attamen si forte alicui infirmo Prior concedat seorsum exeun-  
di licentiam, illi etiam socium adjungat; et ambo simul sem-  
per permaneant, nec cum extraneis occurrentibus loquantur,  
nec saecularium Domos intrent.

545.- 1895. Adm.7: Renovamus Admonitionem 10am Capituli Genera-  
=== lis anni 1892, de colloquiis in spatiamento cum extraneis  
occurrentibus non habendis: imo et addimus nullo modo licere  
numismata sacra, pias imagines, Coronas et quaecumque alia  
munuscula, praesertim electuaria dispensare.

546.- 1893. Adm.8: Licet primo die Capituli Generalis in cunc-  
=== tis Domibus, peractis Matutinis, statim pulsetur ad Primam,  
et mane, hora scilicet sexta cum dimidia, Missa de Spiritu  
Sancto celebretur, horis consuetis exeant Monachi pro spa-  
tiamenti et redeant.

547.- 1894. Adm.5: Nonnulli sunt Monachi, praesertim juvenes,  
=== qui in spatiamenti longum nimis arripiunt iter ita ut,  
gressu inordinato festinantes, admirationem videntibus af-  
ferre possint. Hoc igitur tanquam a gravitate religiosa,  
a recollectione mentis, et etiam a sanitate corporis alie-  
num habentes, moderandum esse duximus.

548.- 1899. Adm.3: Juxta Admonitionem 8am anni 1884, in spatia-  
=== menti Monachi possunt in duas turmas dividi, quando id ex-  
pedire videtur Priori. Prior autem hac concessione uti non  
debet nisi in gratiam eorum qui spatiamento, in n.12, Cap.XV,  
Iae Partis Statutorum praevisto, interesse nequeunt.

=====

STABILITAS: (Vide etiam: 2503-2571)

1°: STABILITAS in Ordine: vide: PERSEVERANTIA.

2°: STABILITAS in Domo:

549.- 1297: Monemus et volumus quod Visitatores non emittant  
=== aliquos de Domibus suis nisi in casibus qui scripti sunt  
in Statutis, scilicet propter discordiam implacabilem aut  
propter inimicitias capitales.

550.- 1300: Pronuntiamus quod, licet Capitulum possit omnia in  
=== Ordine quaecumque viderit saluti expedire, non tamen fieri  
nec faciendum est sine magna et rationabili causa quod, toto

[550] STABILITAS



Conventu renitente, aliquis mittatur ad aliquam Domum non suam.....

551.- 1377: Volumus et ordinamus ut nulla persona Ordinis pro-  
prio motu suo proprium Priorem suum infestet aut molestat ut ad aliam Domum Ordinis se transferat seu transportet, alioquin, si commonitus respiscere noluerit, incurrat, ad sui Prioris arbitrium, generalem Ordinis disciplinam.

552.- 1399: Rogamus humiliter et exhortamus in Domino Reverendum Patrem Domum nostrum Cartusiae, ut nonnisi in casu evidentissimae necessitatis, det personis Ordinis licentiam se transferendi de Domo in Domum quoniam inde sequitur magnum dispendium et Ordinis nostri denigratio; ac etiam considerare dignetur quod Ordo noster est valde gravatus Tricenariis et aliis privatis beneficiis quamplurimis jam concessis.

553.- 1403: Cum variatio sit valde reprehensibilis in personis religiosis, praecipue in Ordine nostro ubi stabilitas promittitur, et propter mutationes et translationes secutae fuerint multae dissolutiones et distractiones in personis Ordinis, idcirco notificatur universis personis Ordinis ut amodo non sperent vagationes vel mutationes extra Domos Professionis earum, quacumque occasione.....

554.- 1415: Humiliter obsecramus Reverendum Patrem nostrum, Domum Cartusiae, quatenus circa personas instabiles seriose se habeat, nec sine causa rationabili ipsis licentiam donet de Domo ad Domum transmigrandi.

555.- 1423: Et quia nonnullos Priores, transitum facientes per Domos Ordinis, audivimus nonnunquam subornare personas Ordinis promittendo eis magnas pitantias, vina bona, crebra spatia et hujusmodi carnalium desideriorum blandimenta, in subversionem et turbationem pacis Domorum, provocantes Monachos, Novitios, Conversos et familiares ad instabilitatem, idcirco praecipimus talibus quatenus quantum vitium gravissimae offensae voluerint evitare, a talibus pestiferis subornationibus et persuasionibus abstineant, alias teneant Ordinem per unum mensem sine misericordia, quoties in hoc fuerint culpabiles.

556.- 1443: Ordinamus quod Monachis importune Visitatores requiruntibus et molestantibus quod ad alias Domos ejusdem Provinciae transferantur, nisi in casibus in Statutis expressis, eis licentia denegetur.

[557] STABILITAS

557.- 1473: Intimamus personis Ordinis quod Ordo intendit labo-  
rare apud SSmm Dominum nostrum Papam pro obtinenda gratia  
Indulgentiarum anni Jubilaei de proximo effuturi; ideo omnes  
personas Ordinis monemus quatenus sub bona confidentia dictae  
gratiae obtinendae, stent quiete in terminis suis, memoriter  
retinentes stabilitatem suam quam Deo et Ordini voverunt.

558.- 1490: Et quia, experientia rerum magistra docente, compe-  
rimus translationes de loco ad locum personis Ordinis hacten-  
us fugae et apostasiae fomenta praestitisse, et in dies dis-  
cursus personarum in confusionem Ordinis et plurimorum scan-  
dalum generare; idcirco omnes et singulos Visitatores stric-  
tius quo possumus admonemus ut nullam personam, nisi inevita-  
bili necessitate urgente aut alias propter evidentem casum in  
Statutis expressum, de Domo sua transferant, nec gravamen al-  
leganti fidem adhibeant, nisi a Priore et majori parte Con-  
ventus sui de veritate certitudinem habeant. Insuper ad ob-  
viandum periculis animarum atque ad reprimendos nefandos ac  
nefarios fugitivorum, gyrovagorum, ac apostatarum discursus,  
in visceribus Jesu Christi, omnes et singulas personas Ordinis  
exhortantes monemus quatenus, tanquam evigiles honoris  
Dei et Ordinis nostri zelatores, tales praescriptos, juxta  
omnem possibilitatem capere, incarcerare, incarceratos de-  
tinere, atque debitas disciplinas secundum Statutorum nos-  
trorum et Ordinationum formam non differant imponere, nec  
litteris mendicatis aut calvis excusationibus credant; quod  
et Pater noster Reverendus Cartusiae cum Capitulo Generali  
sollicitius observare statuerunt. Et tales Ordinis ferventes  
zelatores sciant se nedum refusionem expensarum sed et Capi-  
tuli nostri gratitudinem et recommendationem reportare. Si  
quis vero suae salutis immemor extiterit, et in praemissis,  
negligens aut culpabilis fuerit, talis sequenti Capitulo de-  
nuntiari debet, in hoc singulorum conscientias onerantes, et  
Capitulum Generale sic excedentem tali condigna poena plectere  
curabit quod caeteri consimilia perpetrare pertimescant.

559.- 1498: Et de caetero personae Ordinis stabiliant se in Do-  
mibus suis, et de caetero non sint molestae Capitulo Gene-  
rali vel Reverendo Patri Cartusiae vel Visitoribus super  
mutatione Domorum quia non obtinebunt quod petunt nisi in  
magna et evidenti causa et necessitate.

560.- 1532: Monemus Visitatores Provinciae Angliae ut facile  
non condescendant Monachis petentibus mutationem Domorum,  
sed pro honore Dei et Ordinis et animarum salute, stabiliant  
se in Domibus suae Professionis, vel ubi nunc de mandato et  
consensu Ordinis hospitantur, nisi urgentissima necessitas  
cui lex certa imponi non potest, aliud expeteret.

[560] STABILITAS

561.- 1571: Monemus omnes et singulas personas Ordinis Provin-  
 ciarum Cathaloniae et Castellae, et praecipue juniores ut  
 suae Professionis memores stabiliant se deinceps in Domibus  
 in quibus professae sunt, vel de mandato Ordinis hospitan-  
 tur, et prohibemus Visitoribus ne transmigrandi licentiam  
 eisdem concedant, nisi quatuor annos ad minus continuos in  
 una eademque Domo unde migrare volunt, permanserint, excep-  
 ta tamen urgenti necessitate, ad iudicium dictorum Visitoro-  
 rum et Prioris Domus in qua tunc habitant, vel de mandato Or-  
 dinis hospitantur, circa quod conscientiam illorum oneramus.

562.- 1572: Et quoniam tanta est hodie in personis Ordinis nos-  
 tri instabilitas ut propemodum non stabilitatis jam sed mu-  
 tabilitatis votum fecisse videantur in tantum ut fere inve-  
 niantur hodie plures fugitivi quam qui non fugerint, et quos-  
 dam pro sua levitate oporteat interdum mutare bis in anno,  
 ut vix proventus Domorum sufficiant viaticis instabilium per-  
 sonarum, idcirco statuimus ne amodo quisquam mutetur de ulla  
 Domo nisi prius perseveraverit in ea per quatuor annos inte-  
 gros super quo Visitatores diligentissime invigilent, sub  
 periculo conscientiarum suarum. Et quia multi cum non mit-  
 tantur ad libitum suum, statim fugam ineunt, statuimus ut  
 quicumque amodo fugerit, pro prima fuga, etiam si sit sim-  
 plex, amittat locum et utramque vocem; pro secunda vero ul-  
 tra haec etiam incarceretur, nec sine licentia Reverendi Pa-  
 tris vel Capituli Generalis educatur.

563.- 1576: Ordinationem anno 1572 factam ad tollendum instabi-  
 litatem personarum Ordinis renovamus, et quatenus opus est,  
 de novo statuimus et ordinamus ut amodo nullus sua instantia  
 ad aliquam Domum emissus, de illa Domo mutetur, nisi perse-  
 veraverit in ea per 4 annos integros, super quo Visitatores  
 invigilent diligentissime.

564.- 1587: In Domo Granatae:.... Ex frequentibus atque levi-  
 bus transmigrationsibus quae in dies a religiosis fiunt, su-  
 pra modum gravantur [religiosi?]; et scandalo sunt secu-  
 laribus. (Pr. Castellae).

565.- 1595: Instabilitati et discursibus variis personarum Or-  
 dinis cum detrimento salutis earum et Ordinis dedecore se-  
 culariumque scandalo hactenus factis providere et remedium  
 adhibere volentes et cupientes, statuimus et ordinamus ut  
 de caetero nulla persona Ordinis ab ea Domo in qua per obe-  
 dientiam Ordinis residet emittatur, nisi pro alterius neces-  
 sario subsidio, in quo casu concedimus Visitoribus, &c....

[566] STABILITAS

566.- 1839. Ord.4: Cum variatio sit valde reprehensibilis in personis religiosis, praecipue in Ordine nostro ubi stabilitas promittitur, et propter mutationes et translationes secutae fuerint multae dissolutiones et distractiones, universis Ordinis nostri alumnis notificatur ut amodo non sperent se in posterum vagationes vel mutationes extra Domum suae Professionis de facili impetraturos.

567.- 1894. Adm.3: Quoniam aliqui ex nobis, non satis attendentes ad promissionem quam emisimus stabilitatis, facilius de Domo ad Domum transferri petunt, eos enixe hortamur ut instabilitati et levitati hujus mundi magis ac magis valedicant, prae oculis habentes doctrinam quam de hac re tenet Reverendus Pater Dominus Innocentius Le Masson, in Annalibus Ordinis Cartusiensis, Libro Primo, Cap.VIII.

568.- 1947. Adm.2: Sollicite caveant Priores ne praescriptiones Statutorum nostrorum (I.P. XI,12; XIV.1; XXIV.17) necnon et Ordinationes anteactorum Capitulorum Generalium: (1788: vide supra: n.69) (1900: supra: n.338) (1746: supra: n.394) a subditis suis negligantur, quibus tam stricte vetimur extra terminos nostros egredi; sed ipsimet stabilitatem, quantum possunt, observando, alios doceant custodire. Haud facile etenim admittendae sunt exceptiones, et si tamen evidens necessitas aliquam exegerit, semper et pro singulis casibus petenda erit a Reverendo Patre licentia. Sed et nunquam praesumere debent, qui tali utuntur facultate, personas visitare vel loca adire, ultra negotium ipsum ad quod missi sunt.

569.- 1947. Adm.3: Meminerint Monachi omnes qui facultatem degendi extra claustra, secundum canonem 606.2, vel canonem 638, a Sancta Sede et a Reverendo Patre obtinuerunt vel obtinere desiderant, se talibus licentiis bona conscientia nullo modo uti posse, nisi gravissima de causa petita fuerint, et non ultra tempus quidem per quod vera duraverit necessitas. Qui stabilitatem religiosam Deo Patri solemnibus votis promisimus, tanquam obsequium servitutis et amoris nostri, quomodo iudicium Dei in novissimo die sustinebimus, si propriae commoditati consulentes, infideles in hac parte inventi fuerimus? Priores etiam monemus, ne illas facultates pro subditis suis nimis facile petant, de quibus propria ipsorum conscientia graviter onerata maneret.

570.- 1914. Ord.2: Omnibus Professis Ordinis sive saecularizationis, sive exclaustratis, interdiciamus accessum ad quamlibet Ordinis Domum, nisi de expressa licentia Reverendi Patris.

[570] STABILITAS

I. STABILITAS [571]

571.- 1947. Adm.4: Cum prudenter cautum sit a Capitulo Genera-  
--- li anni 1914, Ord. 2a, ne Professis Ordinis nostri qui Res-  
cripto exclaustationis vel saecularizationis fruuntur, ac-  
cessus Domorum nostrorum pateat, eandem fere normam adhiben-  
dam censemus pro aliis personis, quae habitum Ordinis depo-  
suerunt. Si, rationabili de causa, hospitalitatem eis dene-  
gari debere non aestimant Piores, sollicitate tamen invigi-  
lent, ne cum religiosis, verbis vel scriptis, ullo modo  
communicare permittantur.

-----  
STATUTA: (Vide etiam: 2572-2577)

- 1°: Nova Collectio: Promulgatio.
- 2°: Statutorum lectio.
- 3°: Statutorum obligatio.
- 4°: Statutorum observatio.

1°: STATUTA: Nova Collectio: Promulgatio:

572.- 1582: Ipsam Novam Statutorum Collectionem obviis ulnis  
--- amplectentes, utpote diu desideratam, omnes tanquam de ma-  
nu Domini acceptamus, a quo omne bonum et omne donum perfec-  
tum descendit, quam nobis praesentibus in publica omnium Pa-  
trum Priorum, qui ad Capitulum Generale ascenderunt, audien-  
tia, assistente simul Conventu Cartusiae, legendam distincte  
ac intelligibiliter curavimus, lectamque cum nullus contra-  
diceret, unanimi consensu et grato applausu suscepimus, man-  
dantes ut singulae totius Ordinis Domus quamprimum ipsa Sta-  
tuta habeant et habita praedicto modo legant, toto praesente  
Conventu, ac pro gratiarum actione, Missam de Sanctissima  
Trinitate conventualem solemniter celebrent, prout factum  
est in Cartusia, toto assistente Capitulo; injungentes etiam  
districte et quatenus opus fuerit, in virtute sanctae obe-  
dientiae praecipientes omnibus et singulis Visitoribus at-  
que Prioribus ut etiam sub poena absolutionis ab ipsorum of-  
ficiis in hoc incumbant ut in eisdem Statutis contenta sta-  
tim mandentur, tam a se quam a suis subditis, executioni,  
nonobstante quacumque consuetudine, quantumvis inveterata.

2°: STATUTA: Statutorum lectio:

573.- 1676: Singuli Monachi habeant in cella Statuta Ordinis  
--- integra, ut non solum possint auditu illa percipere, sed  
etiam apud se revolvere et legere, ut omnes actus suos ad  
illorum formam conformare semper studeant.

I. STATUTA [573]

[574] STATUTA

3º: STATUTA: Statutorum obligatio:

574.- 1679: Ad tollendas occasiones erroribus et dubiis, ex  
=== quibus personarum Ordinis conscientiae in peccandi discrimina possent conjici, circa qualitatem obligationis Statutorum Ordinis, et sic satisfaciendum optatis multorum qui instantanter postulant id dilucide exprimi: Declaramus mentem Ordinis circa praecepta et pericula inde cavenda satis apparere ex n.18, Cap.III, Iae Partis Statutorum, cum ergo velit omnia in aedificationem et non in destructionem disponere, ac proinde media egregia ad perfectionem obtinendam tradendo, laqueos ad multiplicanda peccata non ponere, obligatio illa quoad culpam, debet desumi ex praecepti formalitate aut materiae gravitate ex respectu ad ea quae sunt Statui Religioso essentialia, vel ex negligentiae aut scandalali qualitate. Licet enim simplex Statutum (id est nullo praecepto expresso et vero conjunctum) non obliget per se ad culpam, sed tantum ad poenam, ex cujus diligenti exactione vigor Regularis disciplinae in Monasteriis servatur, attamen actus transgressoris fit per se peccatum, ex ratione negligentiae et mali exempli aliis praestiti, ita ut seposita etiam ratione scandalali, atque etiam materia ad essentialia votorum pertinente, raro fieri possit transgressio simplicis Statuti notabilis, plene libera et voluntaria, id est absque tentationis luctamine, ut egregie explicat Sanctus Franciscus Salesius, quae non sit peccatum veniale. Si vero contemptus reperiatur, aut grave scandalum ex habitualibus transgressionibus quas quis corrigere non curat aut contemnit; tunc grave peccatum est, et talis Monachus in periculosissimo suae salutis statu versatur.

4º: STATUTA: Statutorum observatio:

575.- 1680: Frater Innocentius humilis Prior Cartusiae caeteri-  
=== que Diffinitores Capitulorum Generalium annis 1679 et 1680 in Majori Cartusia celebratorum universis Cartusiensis Ordinis alumnis et Professis salutem, et propositi certaminis felicem cursum. Cum nihil nobis post Sancta Christi Evangelia Sacramque Scripturam sit magis necessarium, quam Statuta Ordinis ad quorum normam Christo militare professi sumus, et in quibus media ad sermones ejus servandos nobis praefixa reperimus: ideo omni qua potuimus diligentia laboravimus ut in hac nova Editione nihil omitteretur, quod illorum rectae intelligentiae atque observantiae, habita ratione multorum quae seculorum experientia sensim edocuit, posset desiderari; qua de causa Ordinationes Capitulorum Generalium suis locis attexuimus, nihil etiam relinqueretur inemendatum ex his quae temporum ratione et fori Ecclesiastici moderna pra-

[575] STATUTA

ixi exigentiibus, Sancta Sedes Apostolica, cui omnimodam subjectionem et obedientiam devovimus, commendaverat exprimendum. Hunc ergo librum diligentius revolvite, et veluti panem quotidianum masticare satagite. Ad hoc enim singulari Ordinationes praecepimus, ut singuli Monachi illum penes se habeant; nec etiam deerunt aliquando Conversis, et Monialibus exemplaria Tertiae Partis in linguam vernaculam conversae. Quod autem verba exhortationis de correctione paulo durius prius expressa, verbis lenioribus, salva tamen rerum substantia, nunc proferantur, id tum justitia, tum discretionem exigentibus factum est: Justitia, quia re vera, ulceribus de facto non apparentibus aut rarissime in paucis existentibus, non debet publicum aut commune omnibus remedium nunc applicari. Discretionem autem, quia juniores auditores putantes existere et verum esse ad litteram, quod ex succenso zelo procedit, matres imitante, quae ex pueri casu statim filium suum clamant esse mortuum, inde quandoque, ut experientia docuit, scandalizantur. Porro de sola exhortatione agitur, et non de observantia aliqua regulari. De quibus omnibus vos etiam monitos esse volumus praesenti serie, ut nullius offendiculi occasione relicta, hoc opus libentius suscipiatis, reverentius observetis, et inde forma Cartusianae vivendi assumpta religioseque servata, ad bravium supernae vocationis perveniatis, in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

#### STIPENDIA MISSARUM:

576.- 1631: Quod si aliquae personae cujuscumque qualitatis offerant pro celebratione Missarum eleemosynas, sive pro aliquibus aliis devotionis exercitiis, poterunt charitative suscipi et Missae a Sacrista, per ordinem tabulae, singulis sacerdotibus assignabuntur. Praefatae autem eleemosynae in manus Patris Prioris tradi debent, qui pro sua charitate et prudentia poterit, imo et debet easdem distribuere, prout necessitas cujusque requirere videbitur. (Pro duabus Provinciis Hispaniae).

577.- 1680: Audita cum multo dolore relatione Patrum Referendariorum, visis, lectis, et mature discussis, quae in ea continentur, tam pro veritate facti, conformitate Statuti, cum Ordinatione Capituli Generalis anni 1631 et aliarum subsequentium quam pro explicatione mentis Ordinis et voti perpetuitatis, ipsam relationem in omnibus his partibus approbantes, statuimus et ordinamus ut in posterum Missae eleemosy-

[578] STIPENDIUM

nariae, tam fundatae quam adventitiae dicantur ordine tabulae a singulis sacerdotibus per sacristam assignandis, quia aequum est et justum ut onus conventuale dictarum Missarum ab omnibus supportetur, pro utilitate Domus cui pertinet quidquid quilibet Monachus per dictas Missas artes aut labores acquirit. Omnis autem pecunia quae proveniet ex celebratione dictarum Missarum ita cum effectu singulis redditibus singularum Domorum, ut in computis earum singulis annis fiat mentio specialis summae totalis praefatae pecuniae ex qua et ex caeteris redditibus, conflata una massa, nemini liceat eam separare aut distinguere: prohibentes propterea Visitoribus, Prioribus, Officialibus et Conventibus de ea disponere, nisi modo infra praescripto, juxta Statutum, sub praetextu necessitatum Monachorum aut parentum eorum, aut sub alio quocumque supra expresso in relatione Patrum Referendariorum, aut non expresso, cognito aut incognito, sub poena absolutionis quoad Visitatores, Priores et alios Praesidentes, qui licentias dederint, consenserint aut scienter toleraverint, vel sibi aliquid de dicta pecunia Missarum, sub quocumque etiam praetextu, retinuerint, et carceris quoad subditos, qui aliquid contra praesentem dispositionem attentaverint, aut rebelles in executione fuerint.

578.- Idem servari volumus, mandamus et praecipimus pro pecuniis quae proveniunt ex hortorum floribus et fructibus, conspiciiliis et perspiciliis, aut aliis laboribus Monachorum, nonobstante quacumque licentia Visitorum aut Praesidentium, quam iterum irritamus et nullam declaramus. Provideatur autem de necessariis subditis universis, juxta mentem Ordinis, de communi massa reddituum conflata, ut supra, secundum dispositionem n.6, 7, et sequentium Cap.XIX, Iae Partis Statutorum. Pauperes etiam sublevantur juxta n.1, Cap.XX dictae Partis.

579.- Parentes vero Monachorum et egestatem eorum describant singuli Priores Reverendo Patri, cui soli per Capitulum Generale reservatur facultas eleemosynarum pro dictis parentibus sublevandis: non enim potest Capitulum Generale, post tantos abusus Priorum et subditorum, hanc curam in posterum committere Visitoribus, quia facultas illa sublata est ab eis per Ordinationem Capituli Generalis 1627 (pro duabus Provinciis), neque Prioribus, quia potestas illis concessa revocata est et irrita per Ordinationem anni 1666 (idem) et praesertim anni 1679 (idem),...et abscindatur omnium cavillationum et tergiversationum praetextus, qui irrepserat in executione Ordinationis Capituli Generalis anni 1631. In qua executione tam Priores quam subditi erraverunt, et multi Prioris poenas absolutionis incurrerunt, plures vero subditi poenas carceris: quas tamen omnes misericorditer condonamus et in poenitentias salutaris a Prioribus in singulis Domibus suis subditis imponendas

[579] STIPENDIUM



\* convertimus. Cartusiae, sedente Capitulo Generali, 22a Maii  
anni 1680. (Pro duabus Provinciis Hispaniae).

580.- In relatione Referendariorum pro eadem causa, in an-  
no 1680, scriptum est:

Cum per tot annos radicitus evelli nequiverit illa ne-  
quissima corruptela reservandi et distribuendi per se elee-  
mosynas Missarum per particulares Monachos et in eorum par-  
ticularibus usibus, aut abusibus erogandi, nec unquam suf-  
ficere viderentur ordinationes toties repetitae, commissum  
fuit tale negotium tribus Prioribus, scilicet: de Paulari,  
Burdigalae, et Montis Hilaris, ut serio causam talem trac-  
tantes declarent quid secundum Deum facere licuerit. Qui  
attente pensato negotio decreverunt: Totaliter opponi ta-  
lem consuetudinem puritati voti paupertatis cartusiani,  
utpote res cujus objectum fundamentale esset proprietas,  
et dominium circa talia emolumenta a Monachis culpabiliter  
retenta. Ideoque posse delinquentes cogi poenis propieta-  
riis impositis in Statutis. Nam paupertatis votum cartusia-  
num pendet absque dubio ab obedientiae voto, sub qua inclu-  
sum illud omnes profiteamur solemniter. Insuper talis obe-  
dientia est simplex, absoluta et non limitata, sicut expres-  
se testatur V. Noster Dionysius Rickel in Tractatu de Commen-  
datione vitae solitariae, etc... (Approbatum in Diffinitorio).  
(Pro duabus Provinciis Hispaniae).

581.- 1684: Quia, experientia teste, didicimus quae et qualia  
damna Ordini evenerint in quibusdam locis ex celebratione  
quarundam Missarum quarum stipendia celebrantibus in pro-  
prios aut amicorum aut parentum usus convertebantur, partim  
per Superiorum pusillanimitatem, partim per subditorum astu-  
tias, qui per varias praetextuum et rationum excogitationes,  
id sibi quasi licitum usurpabant; qui quidem abusus jam ex-  
tirpatus esse videtur. Sed ne tale malum unquam in voti pau-  
pertatis perniciem et cupiditatis nutrimentum, quod proposi-  
ti Cartusiensis pestis merito vocari meretur, quamcumque Do-  
mum Ordinis, sub quolibet praetextu ingredi valeat, aut in  
aliqua persona Ordinis tolerari, declaramus quascumque ra-  
tiones super hac re hucusque allegatas, frivolas esse et  
nullas, sed meras esse corruptelas a seminatore zizaniarum,  
in animarum perniciem superseminatas, cum personis Ordinis  
necessaria, juxta propositi Cartusiensis tenorem ubique mi-  
nistrari per Statuta nostra praescribantur, et de facto ubi-  
que per Priores sufficienter ministrentur, et prohibemus om-  
nibus personis Ordinis in virtute sanctae obedientiae, ne  
unquam talium stipendiorum lucra, sive palam, sive secreto,  
sibi procurent aut recipiant, vel in proprios usus applicent,  
sive per se, sive per interpositas personas, sub poenis con-

tra inobedientes et proprietarios per Statuta ordinatis. Prioribus vero interdiciamus ne id unquam permittant aut tolerent, sub poena absolutionis. Si quae autem devotae personae Missas pro se postulent celebrari, ad jussum Prioris, cui omnes ex vi voti sui, in his sicut in aliis obedire tenentur, per ordinem tabulae, sicut consuetum est apud nos, reddantur, et stipendia inde oblata, aliis Conventus bonis incorporentur, juxta mentem Concilii Tridentini, Sess. 25, Cap. 2 de Reformatione, et juxta Cap. XIX, Iae Partis Statutorum nostrorum, atque Superiorum administrationi subjaceant, nec Visitoribus ordinariis aut Commissariis liceat ullo modo dispensare, sed insuper ea omnia quae in locis specialibus super hac re jam fuerint per Capitulum Generale disposita, volumus in suo vigore remanere.

582.- 1711: Admonitio pro tribus Provinciis Italiae: Cum ad observantiam voti religiosae paupertatis quam maxime spectet ut juxta n. 1, 3 et 4, Cap. XIX, Iae P. St., omnia bona cujuslibet Domus, eleemosynae, dona, xenia, et alia universa, quae Conventui, singularibusve personis mittuntur vel offeruntur, incorporentur Conventui, et dispositioni ac administrationi Praesidentis subjaceant; nec in illis nulla persona Ordinis ullum jus aut proprietatem, aut usumfructum, sub quolibet praetextu, sibi debeat vindicare; stricte injungimus ut, juxta Statutum, omnes ex Missis eleemosynariis proventus pecuniarii incorporentur Conventui, et repositis in arca communi, soli dispositioni et administrationi subjaceant Praesidentium, neque in iis proventibus sive in aliis quibuscumque rebus gratia dictarum Missarum Domibus Ordinis oblati, ulla persona sibi aliquid juris, aut proprietatem aut usumfructum, sub quolibet titulo sibi praesumat vindicare. Quod ut perfectius observetur, volumus ut quaelibet Domus habeat librum aut codicem in sacrario, omnibus expositum, in quo omnes Missae eleemosynariae inscribantur et omnibus indiscriminatum ex dispositione Prioris celebrandae committantur, nec ulli privatae personae liceat aliquas Missas eleemosynarias sibi nominatim assumere dicendas praeter eas quae in dicto libro sive codice descriptae fuerint. Visitoribus singulis dictarum Provinciarum injungentes, ut Statutum nostrum superius relatam ab omnibus servari contendam, et quos invenerint transgressores, de iis tanquam inobedientibus et proprietariis debitas poenas sumere non dissimulent, nec liceat, Visitoribus aut Praesidentibus Domorum, de his praedictis dispensare, cum de voti solemnibus observantia agatur.

583.- 1736: Dolentes audivimus Ordinationem factam anno 1684 quae incipit: "Quia experientia teste..." licet a tribus

annis renovatam, subreptitiis dispensationibus quotidie evacuari, ideo ordinamus et sub poena proprietatis inhibemus omnibus Ordinibus subditis tam officialibus quam Monachis et Fratribus ne quis habeat pecunias apud se, vel per interpositas personas, ex Missis eleemosynariis vel aliqua industria et arte, sive etiam extraneorum munificentia et muneribus aut quovis alio titulo, unde stricte et sine ulla fictione servari volumus Cap. XIX, Iae Partis Statutorum nostrorum, mandantes Prioribus et Visitoribus quatenus supersollicite invigilent quasi Deo et Ordini rationem reddituri, quibus super hoc dispensandi, sub quovis praetextu, facultatem interdiciamus, atque hujusmodi dispensationem nullam et irritam declaramus.

584.- 1836: Praecipitur ut Monachi nihil sibi de stipendio Missarum reservantes, illud integrum resignent in manus Procuratoris qui vestitui tam ipsorum quam Conversorum caeterisque necessitatibus providere jubetur. (In Domo Florentiae)

585.- 1885. Adm. 2: Sacerdotes qui non reddunt Missas pro Psalteriis alicujus Monachatus, ut licitum est juxta n. 3, Capit. XXXIX Ordinarii, illas Missas ad suum arbitrium non debent applicare.

586.- 1892. Adm. 7: Cum res tanti sit momenti, super Missarum celebratione et eleemosynis nonnullas regulas Prioribus et Visitoribus proponere, imo ipsorum conscientiae imponere opportunum in Domino judicamus:

1. Nullus onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiat sine Reverendi Patris vel Visitorum licentia in scriptis danda.
2. Pro Missis celebrandis reddituum tituli, cum individua mentione oneris quod praefatis titulis reperitur annexum, in arca communi reponantur.
3. Libros seu codices habeant Priores, in quibus Missarum onera perpetua et temporalia, atque Missas manuales, illorum ac illarum adimplementum et eleemosynas, distincte et diligenter describant et adnotent.
4. Singulis mensibus Missas tum celebratas, tum celebrandas sedulo computent Priores; et sive de his sive de illis ita rationem reddant ut in Domo, praeter Priorem, et alii permaneant bene informati.
5. Visitatores libros Missarum sibi faciant exhiberi ac de onerum adimplemento exigant rationem, Generali Capitulo et Reverendo Patri postea ostensuri quod ea, quae in praemissis ad ipsos spectant, adimpleverint.

[587] STIPENDIUM

587.- 1893. Adm.3: Sunt nonnulli qui spirituali beneficio Mis-  
sarum quarum applicatio ipsis relinquitur, non utuntur, ad  
intentionem Praesidentis celebrant, et aliis bonis Conven-  
tus incorporantur stipendia: sed sic agendo intendunt a  
Priore facilius obtinere ad proprium usum libros, imagines,  
et alia similia juxta praedictorum stipendiorum summam.  
Hanc praxim tanquam periculosam reprobamus.

STOLA:

588.- 1281: Stola uniformiter portetur non cancellata sicut  
hactenus in Ordine extitit deportata.

STUDIA:

589.- 1542: Annis praeteritis facta est ordinatio et prohibitio  
in Capitulo Generali super lectura librorum Erasmi, tanquam  
Cartusianae religioni contraria et minus necessaria et ob id  
reprobata; jamvero nonnulli sunt qui apud semetipsos non tan-  
tum scioli videri volunt, verum etiam affirmant hi, neminem  
ad veram scientiam et intellectum Scripturae Sacrae posse  
pervenire, nisi in lingua Graeca sit eruditus. Igitur quidam  
obliti sanctae rusticitatis nostri propositi, ut apud vulga-  
res scioli videantur, tempus pro sacris lectionibus ipsis  
concessum expendunt, quadam animi curiositate in litteris  
Graecis nonnulli simul et Hebraicis. Quapropter hortamur in  
Domino omnes nostros subditos ut sint memores arrepti pro-  
positi et cartusianae simplicitatis, ut desistant ab hujusce-  
modi curiositate tempus infructuose expendendo in hisce lit-  
teris praescriptis, sed potius studeant semetipsos exercere  
in piis exercitiis vitae Jesu Christi qui nos docuit verbo  
et exemplo mititatem et humilitatem, ut sic talibus exerci-  
tiis valeant pervenire ad secretiora interioris hominis,  
quod quidem nostra vocatio requirit. Alioquin hujusmodi lec-  
turam Graecarum litterarum non omittentes, per Visitatores  
Provinciae arceantur ab eisdem, et si necesse fuerit, non  
desistentes semel moniti, ab eisdem Visitoribus corrigan-  
tur ut caeteri timorem habeant, quod et ipsis Visitoribus  
injungimus. (In Provincia Theutoniae).

590.- 1898. Adm.5: Venerabilis Pater cui commissum est munus  
Theologiam Dogmaticam docendi, singulari solertia studeat  
scientiae hujus praecellentis amore juniorum Professorum  
animos imbuere, ut post votorum solemni nuncupationem,

[590] STUDIA

vitae religiosae tempus inaniter in cella non consumant, sed doctrinae sacrae studiis pertinenter incumbere, ideoque coelestium contemplationi facilius vacare valeant.

591.- 1906. Adm.2: Monachi omnes Theologiae, Scripturae Sacrae et aliis statui nostro convenientibus studiis sedulo quidem vacent. Illos tamen admonemus:

1. Ut omnino caveant a novitatibus, a sublimiori critica, a frequentiori epistolarum commercio et a desiderio opera sua typis mandandi;
2. Ut studio vacandi praetextu, Superiores munera sua, inferiores regulae et silentii observantiam non negligant.

=====

SUFFRAGIA DEFUNCTORUM: (Vide etiam: 2578-2583)

592.- 1430: Donati viventes sine proprio habeant Brevem sicut Conversi.

593.- 1896. Adm.3: Prior cui per n.20, Cap.XLIII Ordinarii datur facultas concedendi suffragia Donatis, est Prior Domus in qua obiit Donatus.

594.- 1875: Ord.4: Quando Monachus, missus de Domo in Domum, moritur in itinere, censetur pertinere ad Domum in quam mittitur, ubi habere debet consueta suffragia.

595.- 1882. Adm.4: Quoad Monachos vel Conversos secularizatos ad tempus, ipsorum obitus in Domibus nostris non denuntiabitur more solito, antequam statuerit Reverendus Pater qualia suffragia pro unoquoque defuncto persolvenda fuerint.

596.- 1911: Ord.3: Ne occasione studiorum non celebrantes nimis graventur, iis concedimus, dispensando, ut, pro quolibet Psalterio ab illis pro defunctis debito, satisfacere possint ter ad sacram communionem accedendo et ter Missam audiendo.

597.- 1951: Debilitatem miserantes sacerdotum Ordinis nostri qui, pondere annorum gravati vel infirmitate laborantes, non valent amplius Missam celebrare, animo libenti decernimus ut commutatione Psalmorum uti queant, quae junioribus Monachis studiis adhuc vacantibus jam fuit concessa, anno 1911.

[598] TABACUM

TABACUM:

598.- 1903. Ord.6: Omnibus personis Ordinis interdicimus fumum tabaci haurire.

TEMPORALIS ADMINISTRATIO: (Vide etiam: 2585-2652)

- 1°: Administrare cum fidelitate et sicut decet nos.
- 2°: De computis tenendis et ratione reddenda.
- 3°: De consilio quaerendo: quando, a quibus,.....
- 4°: De licentia petenda.
- 5°: De Statutis servandis.

1°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: Administrare cum fidelitate, et sicut decet Cartusieneses Monachos:

599.- 1304: Monemus Priores et consulimus quod non permittant Procuratores servare pecuniam ultra 10 libras.....

600.- 1714: Juxta Admonitionem anni 1304, qua monentur Priores ne permittant Procuratoribus servare pecuniam, ordinamus ut Priores Procuratoribus caeterisque officialibus suis non sinant penes se servare pecunias, nisi eas duntaxat quas secundum suam conscientiam eis necessarias esse judicaverint, ad quotidianas expensas; caeteras vero tradant Prioribus custodiendas.

601.- 1879. Ord.6: Nullus Prior, sive nomine proprio, sive nomine Domus suae, praesumat mutuari pecuniam, simul vel per partes, ultra mille francos aureos, nisi sub conditionibus in Can.534 §1 et in Statuto (Ia P., Cap.XIX, n.16) expressis. Qui contra fecerit, ipso facto incurrit excommunicationem Reverendo Patri reservatam.

602.- 1885. Ord.4: Quoties dabitur alicui Domui summa pecuniae quinque saltem millium francorum aureorum, non impendetur ad usus ordinarios, sed toties ad novos redditus acquirendos adhibebitur, nisi donator talis pecuniae usum expresse determinaverit.

603.- 1893. Adm.1: Bona quae pro Domorum necessitatibus conceduntur Priores administrent sicut fideles dispensatores, Deo et Ordini reddituri rationem, sicut religiosi paupertatis adstricti voto, sicut Cartusiani modestiae et simplicitatis amatores. A superfluis expensis se abstineant; caveant

[603] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

I. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [604]

ne aere alieno Domus graventur; pecuniam commodare ultra viginti scuta (quae quingentis francis ad praesens aequivalere videntur) sine consilio Vicarii, Procuratoris, et Sacristae, vel ultra Domorum facultates, non praesumant.

2°: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: De computis tenendis et ratione reddenda:

604.- 1495: Declaramus quod juxta laudabilem Ordinis consuetudinem, singuli Priores omni anno debeant reddere coram Vicario, Procuratore et ad minus duobus de Conventu senioribus aut alias discretioribus, computum de omnibus receptis et expositis per annum, saltem summarie, ut puta: tantum pro ovis et piscibus et sic de aliis rebus, et nihilominus in Visitationibus Domorum coram Visitoribus status Domus redigatur et in Chartis eorundem inseratur.

605.- 1649: Serventur n.9 et n.11, Cap.III, et n.17, Cap.VI, Iae P. St., de computis reddendis et arca communi habenda, sub poena absolutionis Priorum et officialium a suis officiis.

606.- 1693: Quia audivimus redditionem computorum singulis annis faciendam in quibusdam Domibus negligi nec a Procuratoribus reddi, Prioribus injungimus ut statum illud stricte deinceps a singulis Procuratoribus servari studeant, et quos in hac re negligentes, recusantes aut tergiversantes invenerint, a suis officiis irremissibiliter absolvent, alioquin in eorum caput, tum in Dei, tum in Ordinis judicio devolvetur. (Pro tribus Provinciis Italiae)

607.- 1695: Stricte observent Visitatores n.27, Cap.XXIII, Iae Partis Statutorum, ubi de computis singulis annis reddendis et de aliis ad hanc rem pertinentibus agitur; et ideo computa illa sibi exhiberi jubeant in actu Visitationis, ut videant an omnia ibi sint recte peracta in bona forma et secundum mentem Ordinis, ut de statu Domorum etiam in temporalibus bene informentur, et testimonium reddant Reverendo Patri et Capitulo Generali idque exequantur, quasi rationem Deo et Ordini reddituri, et si qui Procuratores reperiantur in hac re negligentes aut tergiversantes, a suis obedientiis absolvantur.

608.- 1723: Confirmamus et renovamus Ordinationem Capituli Generalis anni 1695 et anno sequenti confirmatam quae incipit: "Stricte observent Visitatores...." et injungimus Visitoribus, ut juxta n.26 et n.27, Cap.XXIII, Iae P. St., de Visitationibus, pro temporalium quoque statu agnoscendo dili-

I. TEMPORALIS ADMINISTRATIO [608]

609] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

genter inquirant de omnibus quae ad illum spectant, et si computa fuerint singulis annis reddita; qui, si quos repererint Priores et officiales negligentes et Statutis nolentes acquiescere, hos denuntient Capitulo Generali vel Reverendo Patri, ut per absolutionem a suis officiis poenam sui contemptus et negligentiae sustineant.

509.- 1879. Adm.6: Ad memoriam revocamus quae in n.9 et n.11, Cap.III, Iae Partis Statutorum praescribuntur de computis reddendis, de arca communi habenda, et de depositis. Juxta Ordinationem anni 1695, Visitatores computa sibi exhiberi jubeant in actu Visitationis, ut videant an omnia sint recte peracta, et testimonium reddant Reverendo Patri et Capitulo Generali, idque exsequantur quasi Deo ipsi rationem reddituri.

510/- 1900. Adm.6: Opportunum nobis videtur ad memoriam revocare quod juxta n.27, Cap.XXIII, Iae P. St., Visitatores possunt, si expedire aliqua causa judicaverint, exigere a Priore ut quantum pecuniae, tam in arca communi, quam apud se habeat, absque ulla ambiguitate aut restrictione, sed integre declaret.

3º: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: De consilio quaerendo: quando, a quibus, etc.....:

511.- 1519: Et pro pace Prioris et Conventualium Domus Vallis Viridis, et ut tam ipse quam ipsi melius et ferventius orationi, lectioni, et aliis piis, devotis et religiosis exercitiis intendere possint, Statuta Ordinis insequentibus, volumus et ordinamus quod de caetero in communibus suis colloquiis illa sola proponantur et tractentur negotia quae non nisi conventualiter et cum consilio et consensu Conventus possunt expediri. In quibus ad evitandas contentiones et discordias quae in talibus tractatibus oriri solent, Statuta praedicta de tractando consilio districte servari praecipimus et mandamus, ut scilicet nemo suam vel alterius contentiose praesumat defensare sententiam: sed quae sibi videntur paucis et humilibus verbis exprimat. Caetera vero minora, leviora et magis consueta negotia, in quibus non necessario requiritur conventualis solemnitas, solus Prior, suo tantum et maturorum consilio contentus, tractet in cella sua, nullusque alius in eis se ingerat, nisi vocatus. Qui contrarium fecerit aut qui pertinaciter suam aut alterius sententiam defensare voluerit, voce careat et alias ad Prioris arbitrium puniatur. (Pr. Franciae).

512.- 1758: Cum non expediat, imo nocivum sit particulares Mona-

[612] TEMPORALIS ADMINISTRATIO



... eos, immixtos inveniri in exterioribus Domorum negotiis, et  
 exinde per pensam bene cartusiensi spiritui Statutorum inten-  
 tione, signanter in prima Parte, Cap. IV, declaramus et ordi-  
 namus quatenus opus est decernimus Priores Domorum non debere lev-  
 Monachis alia conventualiter proponere, praeter ea quae res  
 communi suffragio, vel a majori parte Conventus, secundum  
 jus nostrum, resolvenda veniunt. Caetera autem magna et  
 gravia, quae occurrerint, tractentur tantummodo cum offi-  
 cialibus ac duobus vel tribus ex discretioribus Monacho-  
 rum. Hortamurque dictos Priores, ut nunquam hanc celeberr-  
 rimam ordinationem quae in cartusiensis professionis ma-  
 ximum vergit emolumentum, praetermittant. (Pr. Castellae)

613.- 1796: Quoniam audivimus quod ex nimia quorundam Priorum  
 pusillanimitate, velint in quibusdam Domibus Monachi se de  
 temporalis administratione intromittere ultra id quod Statu-  
 ta concedunt et acriter contendunt requirendum esse Conven-  
 tus consensum in casibus ubi a Statutis non requiritur, or-  
 dinamus ut, juxta Ordinationem antiquam anni 1583, quam re-  
 novamus adamussim (supra n. 342), serventur n. 1 et n. 2, Cap. IV,  
 Iae Partis Statutorum quibus statuitur ut Priores quod me-  
 lius et ratius judicaverint, id pro Domorum suarum regimine  
 exequi valeant, exceptis tantummodo casibus in quibus a Sta-  
 tutis necessarius exprimitur vel officialium vel totius Con-  
 ventus consensus. Quapropter omnem aliam in contrarium in-  
 troducendam consuetudinem reprobamus et tanquam regiminis car-  
 tusiensis subversivam declaramus.

614.- 1837: Prohibemus ne in parvis tractatibus de temporalibus  
 rebus claustrales Monachi juniores se immisceant. (In Domo  
 de Trisulti)

4º: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: De licentiâ petenda:

615.- 1375: Statuto perpetuo et irrefragabili duximus ordinandum  
 ut nullus unquam Conventus vel persona Ordinis nostri, va-  
 cante Domo, vel non vacante in sui Prioris absentia, aliquid  
 de bonis immobilibus alienet, quocumque titulo vel colore:  
 qui contra fecerint vel contra facientibus consenserint, si  
 obediencias habuerint, ipso facto eisdem sint privati, et  
 ipsi et alii in talibus consentientes perpetuo sint infames  
 et inhabiles ad quaecumque officia Ordinis obtinenda, et ni-  
 hilominus Priores tales contractus quos nullos esse decerni-  
 mus, quantum commode poterunt faciant revocari.

616.- 1899. Adm. 2: Ad memoriam revocamus poenas quibus, ex n. 18,  
 Cap. XIX, Iae P. St., plectendi sunt Prior et Monachi qui,

[617] TEMPORALIS ADMINISTRATIO

sine licentia Capituli Generalis aut Reverendi Patris, redditus annuos, sive pensionem aut servitutem aliam super rebus et bonis Domus suae vendiderint vel imposuerint perpetuo vel ad vitam; quod applicandum iudicamus pensionibus et aliis servitutibus etiam intuitu pietatis aut caritatis impositis.

5º: TEMPORALIS ADMINISTRATIO: De Statutis servandis:

617.- 1594: Declaramus locationes, emphiteuses, alienationes aliter a nostris fieri non posse quam observato nostro Statuto sub poena nullitatis quoad praefatos contractus et absolutionis quoad Priores, et disciplinae generalis quoad subditos.

PERMINI DOMUS:

618.- 1875. Adm.12: Strictius servetur n.18, Cap.XXV, Iae Partis Statutorum quo prohibetur ne Monachus terminos Domus suae sine licentia Reverendi Patris vel Capituli Generalis exeat, nec facile talis licentia praesumatur.

HERESIA SANCTA:

619.- 1856. Ord.3: Ut spiritum renovationis in vocatione nostra, orationisque zelum ac donum impensius obtinere a Domino mereamur, celebretur per totum Ordinem, cum duodecim lectionibus, sicut de communi unius Virginis non martyris, Festum Sanctae Theresiae, quae vitae contemplativae deditis, Patrona, orationis dux ac norma est et colitur.

TRANSITUS: (Vide etiam: 2653-2675)

620.- 1922. Ord.4: Utentes facultate Superioribus concessa canone 634 Codicis Iuris Canonici, volumus ut quicumque Religiosus ab alia Religione ad nostram transiens cum votis perpetuis, per duos Novitiatus annos absque ulla dispensatione probetur, antequam ad solemnem Professionem admittatur.

[620] TRANSITUS

TRICENARIUM:

- 621.- 1282: In pluribus Tricenariis simul inchoandis, quodli-  
 === bet suam habet Missam, et postea reddantur simul cum ora-  
 tione plurali.
- 622.- 1464: Decernimus sufficere inchoari Tricenaria ante re-  
 === ceptionem Chartae futuri Capituli.....
- 623.- 1590: Ut defunctorum nostrorum apud Deum juvandorum ae-  
 === qualis habeatur ratio, cessante praepudicio novissimorum,  
 ordinamus et volumus ut non quaternis vel quinis singula,  
 sed omnibus multa certi numeri Tricenaria, de quibus omnes  
 participant pro more et intentione Ordinis, singulis tamen  
 singularia sua beneficia reddantur ad formam Statuti.
- 624.- 1885. Adm.3: Quando Tricenarium singulare per totum Or-  
 === dinem alicui personae Ordinis specialiter conceditur, sive  
 a Reverendo Patri sive a Capitulo Generali, duo debentur  
 Tricenaria, tam in Domo Professionis quam in Domibus asso-  
 ciatis, unum nempe post obitum, alterum post receptam Char-  
 tam Capituli, ut praescribit n.17, Cap.XLIII Ordinarii.
- 625.- 1895. Adm.2: Quando aliquod Tricenarium currit cum primo  
 === Tricenario Generali, Oratio Tricenariorum currentium est:  
 "Inclina...famulorum et famulorum..."; et oratio "Fidelium"  
 dicitur, more solito, ultimo loco, juxta n.6, Cap:XXXVI Or-  
 dinarii.
- 626.- 1905. Adm.1: Ad mentem n.12, Cap. XXXVI Ordinarii, decla-  
 === ramus consuetudinem quarundam Domorum qua singula Chartae  
 Tricenaria ante finem praecedentis inchoantur, tolerari non  
 posse nisi quatenus opus fuerit ad hoc ut ultimum Tricena-  
 rium ante receptam Capituli sequentis Chartam inchoetur.

VESTIMENTA: (Vide etiam: 2699-2711)

- 627.- 1341: De caetero caputia cucullarum duos pedes manuales  
 === in longitudine non excedant. Caputia vero capparum sint  
 aliquantulum longiora et indumenta nostra sint de caetero  
 de grosso et vili panno regionis vel patriae albo. In fac-  
 tura omnis curiositas devitetur. Et hoc faciant Visitatores  
 fortiter observari. Non intelleximus tamen antiquum Statu-  
 tum de indumentis in aliquo immutare.

628.- 1356: Ut uniformitas in habitu observetur, ordinamus et volumus quod de caetero caputia cucullarum sint unius frusti et non habeant suturam aliquam retro, et sint plana super caput, et quadrata et alta communiter secundum altitudinem capitis, singulariter juxta modum et formam Domus Cartusiae et exemplar traditum pluribus Prioribus deferendum ad Domos suas et transmittendum ad alias de suis Provinciis quorum Priores ad praesens Capitulum non venerunt. Et hoc idem intelligimus et fieri volumus de caputiis Conversorum. Et caputia capparum tam Priorum quam aliorum mensuram trium palmarum cum dimidio ad plus in longitudine, et duorum cum dimidio in altitudine non excedant, et jam facta statim ad dictam formam et mensuram, ut commodius poterit redigantur.

629.- 1572: Cum omnibus in confesso esse debeat attritionem vestium et vilitatem, simulque victus parcitatem esse ita de substantia Religionis ut non desint gravissimi auctores, super his dispensationem cadere non posse asserentes, hocque nostra Statuta pluribus in locis manifeste astruant, potissimum Capitulo "De Reprehensione", ita ut jubeant nos de grosso et vili panno patriae indui, quod non sine ratione et divina auctoritate factum satis ostendunt et ipsa Evangelia et Apostolicae Litterae: quod nos animadvertentes non possumus satis dolere, quod hoc tempore calamitoso, quando Deus et nobis et universae Ecclesiae iratus monstratur, multos in Ordine nostro Monachos et Priores inveniri qui, suae salutis obliti, contemptis divina lege Statutisque nostris, ita curiosis indumentis uti inveniuntur, ut pannis pretiosis induti, magis seculares homines redoleant quam Monachos, et cum plerique seculares his scandalum patiantur, incurrunt tales maledictionem de qua Dominus: "Vae homini per quem scandalum venit". -- Propterea tot malis obviare cupientes, hortamur et monemus, per viscera Domini nostri Jesu Christi, et per adventum ejus qui judicaturus est vivos et mortuos, omnes et singulas personas Ordinis ut de caetero sint contentae panno rudi patriae, atque sobrio victu, ut, juxta Apostoli vocem, habentes quibus tegamur et vivamus, his contenti simus, nec in vestimentis splendorem aut cultum sed tegumentum quaerant, nec in cibis lautitias sed sufficientiam expetant, et hoc tanto diligentius servato antiquo statuto de indumentis faciente mentionem, ipsi Visitatores et Priores observent et observari faciant, quanto ipsi in altiori loco positi, et ab omnibus circumspecti debent esse ipsi forma gregis ex animo, ne si aliter fecerint, ipsi caeci caecos in barathrum perditionis ducant.

630.- Amodo nullus Conversus portet Cappam aut pileum aut

mantellum itinerarium nigrum, sed omnia sint grisea; qui contumax fuerit, et Priori in hoc restiterit, statim incarceretur.

631.- Praecipimus omnibus et singulis Visitoribus, Prioribus et caeteris personis Ordinis universis, ut extra casum bellorum et pericula Lutheranorum, omnes portent suos mantellos non incisos circa brachia, vel in transversum, nec ornatos serico, ut vocant, passamano, more secularium, nec sine caputio, sed simplices mantellos, more Ordinis, nulla in parte scissos, nisi anteriori, ut solet, Monachi nigros, Conversi griseos, quod caputium nullo modo sit astrictum alutis et amovibile ut multi faciunt, qui cum equitant in manticis illud reponunt aut evertunt ad humeros, ne foris videatur, sed omnes habeant in mantellis suis caputia ex panno et non ex sargeta assuta ex toto ad eam partem quae inhaeret humeris ne possint amoveri. Qui secus egerit, corrigatur a Visitoribus, sed sint ipsi primum in hoc correcti Visitores, ne sint in scandalum aliorum.

632.- 1578: Hortamur et rogamus Patres Provinciae Castellae quatenus contenti esse velint pro necessariis indumentis honesto panno, nec exquirant tam exquisitos et delicatos pannos, et Priores dictae Provinciae non multum faciles se exhibeant in concedendis Monachis et Conversis tam delicatis pannis.

633.- 1591: Cum ad unum eundemque Ordinem pertineant non solum eiusdem moribus vivere, sed etiam ejusdem formae uti vestibus, audierimus tamen cappas quibus nostri utuntur in Provinciae Cathaloniae et Castellae, non Cartusianae, sed Dominicae familiae usum retinere, volumus item factas reformari, faciendas vero consui debere ad hujus nostrae Domus formam et figuram quae est ut caputia ex omni parte cappis assuantur et cappae ipsae anterieus disjunctae et apertae raras et nonnisi necessarias plicas a tergo habeant, nihilque serici eis inseratur, uti nec in pileis nec palliis, ut omnia religiosam simplicitatem, non secularem fastum redoleant.

634.- 1666: Prohibentur omnino quidquid indumenti linei tam externi quam interni.

635.- 1836: Pro Domo Pisarum: Nemo utatur super carnem lineis indusiis, nisi propter infirmitatem, de consilio medici et de licentia Prioris.

636.- 1877. Adm. 7: Cingulum quo utimur fiat, juxta n.l. Cap. XII, lae P. St., et uniformitatis causa, ex corio albo.

[637] VESTIMENTA

637.- 1885. Adm.4: Nulli nostrum licet seculare mantellum portare, nisi propter imminetia vitanda pericula, ut patet ex n.8, Cap.XII, Iae P. St.; a fortiori non licet vestes omnino seculares aut etiam ecclesiasticas induere; ideo, ut tollatur super hoc omnis animi phantasia, nullus tales vestes induet, nisi de licentia Reverendi Patris; Quod si, ob improvisam necessitatem, ista praesumatur licentia, res postea Reverendo Patri quamprimum manifestetur.

638.- 1886. Adm.1: Quartae Admonitioni Chartae Capituli Generalis praecedentis, de non induendis secularibus vestibus nisi de licentia Reverendi Patris, addatur: "Fratres autem huiusmodi vestes non induant absque licentia Prioris; quae licentia difficile concedatur, maxime Conversis."

VICARIUS: (Vide etiam: 2712-2717)

639.- 1250: Ea quae sunt de officio Prioris, quae Procurator et Vicarius divisim exequantur in absentia Prioris, amodo Vicarius totaliter exequatur, et locum nunquam mutet.

640.- 1261: Priores non dent Vicariis generalem potestatem nisi in casu evidentis necessitatis vel utilitatis.

641.- 1302: Ordinatum est et expresse volumus quod Priores non dent Vicariis potestatem generalem, sed sint contenti potestate sibi ab Ordine concessa, nisi in casu evidentissimae necessitatis vel honestatis.

642.- 1424: Ad tollendum quorundam scrupulum, declaramus et volumus quod Vicarius Monachorum, Priore mortuo, habeat eandem auctoritatem in spiritualibus quoad personas Ordinis, quam habuit vivente eodem, donec ab officio destituatur.

643.- 1530: Quia secundum Statuta nostri Ordinis, Prioris est secundum discretionis suae arbitrium, de potestate Vicarii sui disponere; ideo admonemus omnes et singulos Provinciae Saxoniae Vicarios, et si opus fuerit, sub poena absolutionis a suo officio, praecipimus ut in spiritualibus aut temporalibus tractandis aut dispensandis, non latius se intromittant quam nostri Ordinis Statuta aut Prioris auctoritas eis concesserit.

644.- 1638: Quia audivimus Vicarios aliquos sibi plus aequo in absentia Priorum tribuere, ideo declaramus potestatem Vica-

[644] VICARIUS

## I. VICARIUS [645]

riorum, in absentia Priorum, ad sola spiritualia se extendere; non posse tamen sub praecepto obedientiae nec sub excommunicatione praecipere, nisi cum consilio officialium et duorum de antiquioribus; officiales minus instituere vel destituere: imò nec omnino de obedientiis Procuratorum se intromittere, cum ipsimet Priores non possent dare licentiam Vicariis cum hospitibus manducandi nec officinam coquinae ingrediendi. (In Pr. Castellae).

645.- 1863. Adm.8: Ad memoriam revocamus Ordinationem anni 1638 qua declaratur Vicariis in absentia Priorum nullas alias competere facultates, nisi eas quae illis a Statutis tribuuntur.

646.- 1887. Adm.2: Absente Priore, Vicarius in Refectorio non legit nec ministrat; a caeteris autem officiis non dispensatur.

647.- 1889. Adm.4: Laudandi sunt Vicarii qui, licet ad exhibendum se, data occasione, Novitiis Junioribusque Professis benignos semper parati, in illorum educatione non se ingerunt, illos ordinarie non visitant (et nonnisi de Prioris praesentis et haud impediti licentia, quam ipse dare minime tenetur), ad colloquendum non recipiunt, ad Magistrum remittunt, ut major sit Magistri auctoritas et omnium subditorum una et eadem directio.

### VISITATORES: (Vide etiam: 2718-2723)

- 1°: De modo agendi in itinere.
- 2°: De nominatione Visitorum.
- 3°: De auctoritate Visitorum.
- 4°: Normae variae circa Visitationes.
- 5°: De secreto Visitationis servando per subditos.
- 6°: De zelo adhibendo in officio Visitoris.

### 1°: VISITATORES: De modo agendi in itinere:

648.- 1260: Monemus Visitatores ut moderatas expensas faciant in via Angliae vel alibi ubicumque.

649.- 1369: Visitatores moram et expensas notabiles non faciant in Domibus visitandis, alias per Capitulum graviter puniantur.

## I. VISITATORES [649]

[650] VISITATORES

650.- 1571: Monemus Visitatores tam ordinarios quam Commissarios  
--- ut singuli cum binis equitaturis et cum duobus famulis tantum et uno Converso, condicto die accedant ad Domum visitandam, et, lecta Charta, quantocyus pariter inde recedant, a qua nihil exigant, nisi moderatas expensas quas in ipsa Charta Visitationis nobis describant, neque alia damna, neque detrimenta, neque alios sumptus recompensari postulent, nisi quae Statuta concedunt. Omnes quascumque fecerint Ordinationes, Chartae insertas, vel separatim scriptas, nec nimis multiplicatas mittant ad Capitulum Generale. Particulares exemptiones a conventualibus oneribus vel ab observantiis regulariis toti communitati scandalum generantes aut offendiculum ponentes nullatenus concedant Religiosis. (In Provinciis Cathaloniae et Castellae).

2º: VISITATORES: De nominatione Visitorum:

651.- 1299: Additionem illam, scilicet quod Prior Cartusiae  
--- possit mutare super annum Visitatores ex causa, concedimus esse perpetuam.

652.- 1738: Et Domus Sanctorum quamprimum visitetur ad formam  
--- Statutorum nostrorum a Patre Visitatore Provinciae cum socio Priore alterius Provinciae, licet Prior dictae Domus sit Convisitator, nonobstante n.3, Cap.XXIII, Iae P. St., cui in hoc non derogamus, verum, justis et rationabilibus de causis nobis cognitis, utimur libertate ibidem concessa clausula in dicto paragrapho apposita: quantum fieri potest. (Pr. Sancti Brunonis). (Satis frequens erat hujusmodi decretum).

653.- 1761: Declaratio de potestate Reverendi Patris instituen-  
--- di Visitatores super annum:

Nos, Diffinitores Capituli Generalis, attendentes quod ex una parte relictam fuisse Reverendo Patri dispositionem Domus de Paulari quae est ex Provincia Castellae, ex altera vero eandem Castellae Provinciam pro nunc Convisitatore indigere, nec ullum in praesenti habere qui ad hoc officium promoveri valeat, declaramus, si Reverendus Pater Priorem a se in Domo de Paulari instituendum judicet ad praedictum Convisitatoris officium esse idoneum, potest, absque ullo dubio illud ei officium committere, et sic uti jure sibi per Statuta concessa, n.3, Cap.XXIII, Iae P. St., tam in praesenti casu quam in caeteris omnibus in quibus rationale sibi videbitur novos Visitatores instituere.

[653] VISITATORES



3º: VISITATORES: De auctoritate Visitorum:

- 654.- 1376: Declaramus quod gratiae quaecumque sive licentiae per Capitulum Generale vel Dominum Cartusiae denegatae non poterunt a Visitoribus obtineri, nisi de hoc fiat mentio in potestate eis danda, et sint prius de hujusmodi delegatione informati.
- 655.- 1423: Visitoribus committitur in actu Visitationis ~~taxat~~ auctoritas Capituli Generalis, excepto quod non dent licentiam Monachis visitandi parentes suos.
- 656.- 1450: Et quaecumque super annum auctoritate Capituli Visitores concesserint aut autorizaverint, sequenti Capitulo habeant intimare; licentias quoque, si quas praetextu talis auctoritatis Domibus vel personis Ordinis etiam concesserint, nisi sequenti Capitulo intimatae fuerint et ibidem confirmatae, dicto Capitulo elapso, volumus expirare.
- 657.- 1892: Domus Visitorum per eos quos Capitulum Generale vel Reverendus Pater deputant visitantur (n.4, Cap. XXIII, Iae P. St.). Extra actum Visitationis, Convisitoris Domus ad Visitatorem Provinciae recurrit, Visitoris vero Domus ad Convisitatorem.
- 658.- 1904. Ord.5: Apud nonnullos recenter exortae sunt de potestate Visitorum in foro interno controversiae, quas minime opportunum iudicamus ex professo nunc dirimere. Attamen ad praxim attendentes, pro bono et consolatione animarum, praesenti Ordinatione Visitoribus facultatem facimus, in quantum opus est, confessiones personarum Ordinis suae Provinciae qualibet occasione excipiendi, non exceptis casibus Priori reservatis.

4º: VISITATORES: Normae variae circa Visitationes:

- 659.- 1346: Visitores sequantur saltem una die Ecclesiam et Refectorium cum Conventu. - Item, in eorum praesentia, abstinentia non frangatur et spatia non dentur. - Item, sint ipsi Visitores in equitaturis et vestibus et famulis ordinati, et caveant a curiositate et multiplicitate ciborum. - Item tribus famulis absque alia persona contententur.
- 660.- 1679: Visitatio Domorum quarum Priores Visitores sunt ultra quadriennium, Visitatio autem Domus Cartusiae ultra sexennium nunquam differatur, nisi necessitate cogente.

[661] VISITATORES

661.- 1738: Legantur in Domibus Ordinis, diebus in Statutis  
præfixis, Ordinationes Capituli Generalis et Chartae Vi-  
sitationum, quibus omnes intersint, quod in dissuetudinem  
jam in quibusdam Domibus abiisse audivimus. Et super hoc  
Visitatores invigilent.

5°: VISITATORES: De secreto servando per subditos:

662.- 1896. Adm.7: Ad praecavendum omnem revelationem de statu  
et defectibus Domorum aut personarum Ordinis, nemini per-  
mittatur transcriptio, ad proprium usum, Admonitionum quae  
a Visitoribus fiunt.

6°: VISITATORES: De zelo adhibendo in officio Visitoris:

663.- 1260: Admonemus Visitatores ne in periculum animarum sua-  
rum negligentes sint in Visitationibus et correptionibus  
faciendis, et Piores ut faciant ea quae Visitatores praece-  
perint observari.

664.- 1397: Exhortamus Visitatores in Domino ut in officio Vi-  
sitationis sint ferventes et solliciti, prout Statuta vo-  
lunt, et non gravent Domos quas visitant inordinatis expen-  
sis; sintque discreti in victu et sobrii, et studeant de se  
praebere, prout debent, laudabile exemplum.

665.- 1434: Monemus Visitatores in quantum diligunt salutem  
animarum Monialium quarum cura eis commissa est, et de qui-  
bus coram Deo rationem reddere habent, quatenus diligentiam  
habeant ad extirpationem proprietatis secundum juris et Sta-  
tuti Ordinationes.

666.- 1442: Etsi multa liceant Patribus Visitoribus jure Sta-  
tutorum, ordinatione vel potestate a Generali Capitulo eis  
delegata, quae interdum saluti animarum non expediunt aut re-  
gularem conversationem Monasticam non aedificant, seu ipsam  
morum honestatem non decent, summopere cavere debent, ne in  
processu Visitationis per complacentiam Monachorum quos for-  
san contristare nolunt, tum in licentiis extraordinariis con-  
cedendis, tum in laxandis observantiis regularibus, tum etiam  
in excessibus palpandis aut dissimulandis aut minus exempla-  
riter corrigendis, potestas Visitorum ipsorum quae non in  
destructionem est sed in aedificationem, cedat in derogatio-  
nem auctoritatis Priorum aut observantiae regularis vel ba-  
culi pastoralis ipsorum. Pro quorum Visitorum clariori in-  
formatione et juvativa, prout tenemur in futurum, coopera-  
tione, ordinamus ut in praemissis omnibus et circa dependen-

[666] VISITATORES